6

Q. D. B. V.

CATACLYSMUS THURINGIACUS,

vulgò

Die Thüringiſche Sündfluth/

CUJUS HISTORIAM

Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ benevolo indultu,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII GOEZII,

WICHMARIA-THURINGI, PHIL. PRACT. IN HAC ALMA SALANA PROF. PUBLICI LONGE CELEBERRIMI,

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS SUI PERPETIM DEVENERANDI,

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM ad d. XV. M. Januar. 1670.

Publico Eruditorum examini obtulit

AUTOR

GEORGIUS HEINRICUS CELIUS,

Crimmic. Miſnic. Alumnus Ducalis Saxo-Vinar.

J E N Æ,

Recuſa auctius M. DC. XC.

TYPIS JOH. GOLLNERI.

6.

Digitized by Google

B. C. D.

PRÆFAMEN.

Singulis omninò ſeculis jam inde à Conditu Mundi ſingulare & notatu dignum qvid eveniſſe, ſatis liqvet: aliud qvippe horribiles eclipſes, torvos aſpectu cometas, rara & inuſitata meteora vidit; aliud monſtroſis partubus notabilibusqve caſibus admodum refertum fuit; iterum aliud cruentum bellum eſt expertum, qvod ſeqvens ætas aurea & opinione citius conceſsâ pace denuò ſæpe excepit. Alio ſeculo peſtilentia diris modis eſt graſſata, alio ſterilitas ac fames improba: hoc uberrimus annonæ proventus, iſto, hujus maximus obtigit defectus; hoc vehementia ſævitiaqve paſſum fuit incendia, illud terræ motus qvævis proxima deſtruentes; aliud ingentes perſecutiones habuit, aliud qvid aliud: aliud artem qvandam utiliſſimam; aliud contra fraudes & ſcelera pernicioſiſſima invenit. H. c everſione alicujus reipubl. inclaruit, aliud alia mutatione qvadam: aliud aqvarum exſiccatione laboravit, adeoqve fontibus irriguis non raro caruit, aliud contrà aqvarum inundatione minus gratâ preſſum atqve oneratum fuit. Verbo: *nullum utiqve extat ſeculum*, ſi graviſſimorum ſcriptorum annales qvis evolvit, qvod non peculiarem in ſe contineat conſiderationem, qvod non peculiari & decantatâ aliqvâ no-

Digitized by Google

tâ qvaſi obſignatum fuerit. Inter omnes tamen decurſus ſeculorum, hoc paulatim ad finem vergens præſens noſtrum, in qvo per Dei gratiam adhuc degimus, eminere videtur, utpote in qvo prædicta modò atqve recenſita qvævis concurrere qvaſi deprehendimus, adeò ut etiam magni nominis multæqve eruditionis Viri exinde ſupremum diem finémqve mundi nobis imminentem & mox adfuturum colligant, qvod ſuo loco relinqvo. In præſenti miſſis aliis, non omninò abs re me facturum eſſe puto, ſi exercitii Academici loco, thema de cataclyſmo Thuringiaco, qvi in annum currentis à nativitate Chriſti ſeculi decimi ſeptimi, decimum tertium incidit, tractandum in me ſuſcipiam, & qvid hoc in negotio valeant humeri, qvid ferre recuſent, breviter experiar. Propoſitum verò diſcurſum ita diſpertire placet, ut conſtituam tria capita, in qvo primo præcognita enumerem. In ſecundo ipſum cataclyſmum, ſeu hiſtoriam cataclyſmi Thuringiaci ſecundum ſuas circumſtantias, damnumqve huic regioni per hunc illatum, qvantum datur, referam. In tertio recenſeam officium Viri Politici circa iſtiusmodi prodigia. Si impolitè & incultè qvid dixero, facile mihi datum iri veniam ſperabo, tùm ob materiæ raritatem, cum qvod præfiſcine dictum ſit, nemo forſan, qvod qvidem ego ſciam, hanc viam ante me calcaverit; tùm difficultatem, qvæ in re ardua me non parum excuſare videtur. Tu verò ſummum & ſupremum Numen, vive fons ſalutis, clementer me guberna, & cœptis his annue.

CAPUT

CAPUT I.

SUMMARIA.

ETymologia & notatio qvorundam nominum in hac diſputatione occurrentium exhibetur, §. 1.
De exiſtentia cataclyſmi Thuringiaci qvædam afferuntur, §. 2.
De exiſtentia aliorum cataclyſmorum in particulari, §. 3.
De Græcia diluviis qvibusdam, §. 4.
De diluviis in Romano Imperio variis hinc inde ortis, §. 5.
Digreſſio ad cauſas tempeſtatum, §. 6.
Diviſio tempeſtatum & aliqvalis deſcriptio, 8. & 9.
De fato qvædam immiſcentur, §. 10.
De cauſa materiali, §. 11. & 12.
De cauſa formali, §. 13.
De cauſa, §. 14.

§. I.

AD rem præſentem non omninò nihil facere poſſe mihi videtur, ſi rubricæ nomina penitus paulò prius examinem, cùm inſuper ſolenne ſit diſputantibus, notationem nominis primo evolviſſe, ut eò melius viam ab ſubjectæ materiæ penitralia ſibi præparent, totumqve ſuum diſcurſum eò felicius poſtea formare valeant. Qvod proinde vocem cataclyſmi attinet, natales ſuos Græcis debet, deſcendit qvippe à κατακλύζω, abluo, item demergo, apud Latinos

nos aliàs vocatur diluvium, à diluendo, & hoc à luo, fortè, qvòd luant qvaſi peccata homines diluvium paſſi; dicitur & diluvies, Germ. Verſchlemmung / Ergieſſung der Waſſer / groß Gewäſſer/ communiter Sündfluth: Thuringiacus autem eſt à nomine ſubſtantivo proprio Thuringia, qvod & Duringia ſcribunt, qvæ eſt Landgraviatus omnium nobilisſimus, cujus longitudo latitudine ferme par eſt, nempe duodecim utrinqve milliaria, & continet juxta Neandri Geographiam in ſe 144. urbes 144. vicos. Marckflecken & 150. arces. Sita eſt ab ortu & occaſu inter duo flumina Salam & Werram. Habuit qvondam ſuos peculiares Reges, poſtmodum Haſſiæ conjuncta fuit, usqve dum ad Marchiones Miſniæ & Saxoniæ Duces devoluta eſt, de qvibus & aliis, ut & vetuſtis ejus habitatoribus vide plura apud Zeil. Itin. German. c. 1. & 17. Chronica Thuringiaca Bechereri & Binhatti, Cluverium, nec non Wolff. Heider. Vol. 1. Orat. 6. & Vol. 2. Orat. 26. & 28. ut adeô Cataclyſmus Thuringiacus hujus regionis incolarum idiotismo exactè reſpondeat, qvando dicunt, die Thüringiſche Sündfluth/ ut proinde qvid diſputationis noſtræ titulus præ ſe ferat, amplius non poſſit eſſe obſcurum. Mentio porro fiet in hac noſtra diſſertatione aqvæ, item cataractarum, igitur & horum vocabulorum etymon tribus ſaltim verbis judicare habet. Nimirum aqva non dicitur, ut Grammatici qvidam putant, qvaſi *ſine qva* eſſe non poſſumus, vel *à qva* ſimus & vivamus; ſed fuit vetus verbum Græcum *ἄχα*, ubi χ tranſiit in q. vid. Becm. Orig. Lat. Lingv. ſub hac voce aqva. *Cataracta dicta à καταῤῥάττειν*, h. e. à defluendo: ſunt enim inundationes repentè irruentes, plötzliche und ſchnelle Ergieſſungen von oben herab / de qvibus vulgò dicunt: Es iſt eine Wolckenbruſt (ſed perperam, rectius qvippe dicitur Wolckenbruch) herab gefloſſen. Gen. 7. apertæ ſunt cataractæ cœli; ubi Lutherus vertit: Die Fenſter des Himmels thäten ſich auf. Similis modus loqvendi, Fenſter am Himmel/ legitur & 2. Reg. 7, Malach. 3. v. 10. & Jeſa. 24. 28.

Et

Digitized by Google

§. II.

Et hæc de notatione nominum. Jam dicendum eſſe de dicti Cataclyſmi exiſtentia. Qvæ in materia hiſtorica aliunde haberi eqvidem non poteſt, qvàm ex literarum monumentis. Aſt ubi ea ſunt? ſane nulla invenio; & licet ego curtam admodum ſupellectilem poſſideam librorum, attamen & inſtructisſimæ Bibliothecæ in hac Academia, qvod intrepide affirmo, hac in materia ſubſidio mihi eſſe non potuerunt. Et qvamvis ex ſcriptoribus unus & alter interdum ad ſimiles alios cataclyſmos delabitur, hunc tamen præcipui, qvod miror, reticent, id qvod eo cupidiorem me reddidit, ut in evolvenda hac hiſtoria lubentius deſudarem. Collegi proinde ea, qvæ ex provincialibus relationibus fide oppidò dignis, nec non ex Reverendo Vinarienſi Miniſterio accepi, & incudi diſputatoriæ ſubjeci, id qvod plenius ex infra dicendis, cap. nimirum 2. per totum pateſcit, qvàm hiſtoriam cataclyſmi miniſtrat vir itidem infra nominatus. Si igitur uſpiam hallucinatus fuero, veniam ob difficultatem hujus materiæ ultro mihi polliceor, elegi ſiqvidem hanc, etſi difficillima ſit, atqve à nemine antehac elaborata, non laureolam in muſtaceo qværendi, aut alius alicujus vanæ gloriolæ captandæ cauſa, neqvaqvam, ſed ſolius hiſtoriæ notatu dignisſimæ ſtudio ductus, qvam electam ſemel deponere nolui, licet vel nullum invenirem, qvi facem mihi ſubminiſtraret. Exiſtentia tamen hujus cataclyſmi in dubium minimè vocabitur, ſi qvæ cap. 2. dicentur, attendantur.

§. III.

Aliàs extitiſſe ſæpius particulares cataclyſmos alios, eſt certo certius. De univerſali iſto Orbis diluvio non dicam, cum nemini ignotum ſit, forſan nec iis, qvi nondum ære lavantur, & vel limina ſacrarum Pandectarum ſalutarunt. Iſtam etiam litem in præſenti diſcurſu meam non facio, qvamdiu nempe duraverit diluvium illud, qvo menſe & qvo die cœperit, cum Autores nusqvam inter ſe conve-

venire videam: aliis principium, diem 17. Aprilis anni M. 1656. & finem poſt ſemeſtre anni ſpatium ſtatuentibus: aliis autem diem 28. Nov. dicti anni pro principio, & pro fine, diem 6. Januarii ſeqventis 1657. anni habentibus.

§. IV.

Theſſaliæ diluvium, qvod annis aliqvot non ita multis ante exitum Iſraëlis ex Ægypto, Anno ſcil. M. 2440. fuiſſe traditur, qvis ignorat? de hoc ſiqvidem Juſtinus lib. 2. hiſtoriar. c. 6. dicit; qvod Amphictyonis, (qvi primus Minervæ urbem ſacravit, & nomen civitati Athenas dedit) temporibus, aqvarum illuvies majorem partem Græciæ populorum abſumſerit. Superfuerunt, pergit, qvos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliæ, Deucalionem, ratibus evecti ſunt. Sic Varro in prologo lib. 3. de R. R. refert, qvod Ogygis Thebanorum regis tempore primum omnium diluvium fuerit. Sed D. Auguſtin. de C.D. lib. 18. dicit: Tempore qvo regnabat Ogyges, diluvium magnum factum eſt: non iſtud maximum, qvo nulli homines evaſerunt, niſi qvi in arca fuerunt, ſed tamen majus, qvam qvod poſteà tempore Deucalionis fuit. Qvod & nos veriſimilius putamus.

§. V.

Et non Græcia ſolum cataclyſmis ſæpius vexata fuit, ut ex Platone & Herodoto plura exempla facili negotio afferre poſſem, niſi chartæ temporiqve parcerem; ſed etiam Romanorum ditio; ſic temporibus Antonini Pii, Juliani, Valentis. Juſtini, Ludovici Pii, Henrici IV. & Henrici VI. maximæ fuere inundationes.

Anno Chr. 560. Tybris (qvi fluvius Italiæ principio exiguus, duobus poſtea & 50. augetur amnibus) Romam prorſus ferme (verbum eſt Lucretii) diluviavit.

Colonia Agrippinæ, an. 857. graviſſimum cataclyſmum paſſa eſt.

In vico aliqvo Savoniæ Aſchebrunn/ 876. tanta fuit aqva-

qvarum moles, ut facile nullum loci habitabilis veſtigium relinqveretur.

Qvod etiam fuit in ducatu Mediolanenſi, an. 1118.

An. 1187. in inferiori Saxonia gravis fuit irruptio aqvarum, de qva illorum (Saxonum) Chron. Jn düſſem Jahre verdränckede dat Water veele Lüde und Qveeck / und een groot Gades Tecken ſchach dartomal / dat leventige Kinder floten in der Wegen / in Molden / in Väthen / de Manne ſeeten up den Hußbalcken / und kämen tho Lande in frembde Jegend / &c. Vid. Alb. Cranz. in Metrop. lib. 7. cap. 14.

Idem qvoqve evenit in Polonia, an. 1219. & an. 1440.

An. 1448. d. 12. Sept. Auguſta Vindelicorum magnum cataclyſmum habuit.

Ut & eodem anno, nempe 1530. qvo Lutheranorum confeſſio fidei, à Johanne Electore Saxon. in magnis Imperii Comitiis, in prædicta urbe Auguſta Vindel. conſtantiſſimè exhibita fuit, Baſileæ ingens fuit cataclyſmus.

An. C. 1551. inter Iſennacum & Gotham, item Cruciburgi fuit cataclyſmus ſat horribilis.

Et an. 1552. Budiſſini in Luſatia.

Qvod & eod. anno noſtræ Jenæ accidit.

Sic in omni fermè Germania, præſertim in Sileſia, Bohemia, Miſnia, & Thuringia, an. 1556. cataclyſmus extitit.

Nec immunis fuit vicus Burgthonna, non procul à Salza? eopſe ſiqvidem anno 1558. qvo alma noſtra Academia fundari cœpit, magnum vidit cataclyſmum.

Item dicto anno tale qvid Vinariæ & Erffurti contigiſſe legitur.

Rhodæ (oppidulo non procul abhinc diſſito) priori & hoc ſeculo graves fuiſſe aqvarum inundationes, audivi ex viris fide dignis.

Qvas qvoqve paſſæ ſunt urbes ſplendidæ, & admodum præclaræ, ut Numburgum, Gera, Hala, Dreſda, Miſena, Witteberga, Magdeburgum, Brunswiga, & qvamplurima alia loca, & pagi etiam in Thuringia, ut Meckfeld/Klettwich/& circumjacentes alii nonnulli.

Scirtus per urbem Edeſſa(Rages olim dicta)in Oſroëna fluens aliqvando adeò ſe effudit, ut tota fermè urbs perierit: ſubſidentibus poſtmodum aqvis, tabulam aliqvam obliteratam invenêre, in qva hæc verba viſum fermè fugientia, legibilia tamen adhuc qvadantenus, cerni potuerunt? Scirtus fluvius malè ſaltabit (à ſaltando enim nonnulli derivârunt) civibus, Das Waſſer Scyrtus wird einmal den Bürgen einen böſen Sprung thun/ ut refert Irenæus in ſpeculo aqvarum; ex qvo plura, ſi placet, legi & depromi poſſunt cataclyſmorum in hac aut illa provincia ſubinde exortorum exempla.

§. VI.

Nos, poſtqvam particularia nonnulla exhibuimus diluvia, non omnia, qvod nec noſtri eſt propoſiti, nec videtur neceſſarium, ad alia, & qvidem ad cauſas tranſimus, his perluſtratis, ad ipſum Thuringiacum diluvium, miſerandum deplorandumqve iſtud ſpectaculum, progreſſum facturi.

§. VII.

Deſcriptiones tempeſtatum, diviſionesqve in ſacris Bibliis & profanis Hiſtoricis evolvere atqve inqvirere alias ſi vellemus, triplicia earum genera extant. Unum vocari poteſt *Hiſtoricum:* ubi tempus & locus, nec non modus deſcribitur, qvalis fuerit, & qvæ qvantaqve damna aqvæ dederint. Alterum dici poteſt *Phyſicum:* hoc cauſæ cataclyſmorum eruuntur, dijudicanturqve ex principiis naturalibus. Tertium genus eſſe poteſt *Theologicum:* qvo cauſæ eorundem morales exponuntur, & qvomodo ad finem Eccleſiæ ſe habeat cataclyſmus, docetur. Nos ultimum hoc genus ad cathedram remittimus ſublimiorem. Hiſtoricè autem

tem thema noſtrum proſeqvemur, & de cauſis, ſed obiter qvaſi, dicemus.

§. IIX.

Cataclyſmorum (intelligimus h. l. ſub his qvascunqve tempeſtates) cauſas jam qvod attinet, dicimus, efficientem primam eſſe ipſum Deum verum, vivum, qvi ſe in verbo revelávit. Gentiles eqvidem *Diis ſuis* haſce tempeſtates attribuerunt, credideruntqve, eas efficire rerum omnium præpotentem (dixiſſem pene impotentem) Jovem. Non dicam de illis, qvi *diabolo* ut cauſæ principali eas adſcripſerunt, qvem Summanum, qvaſi ſummum manium, vocavere: qvæ impia ſententia toleranda haut eſt: permittit qvidem Deus, ut Cacodæmon, ejusqve organa fidelia, ſagæ atqve incantatrices, aliqvid tentent, unde Germani dicunt eine alte Wettermacherin; ſed tamen hanc permisſionem ad certos limites reſtringit: niſi enim hoc eſſet, qvid ſalvum qvæſo foret, ſi diabolo in terricolas graſſari pro arbitrio liceret?

§. II.

Neqve iſtud locum habere poteſt, qvo gentes (forſan & hodiè adverſarii noſtri, inprimis Pontificii exiſtimarunt, *Chriſtianos* (qvos in præſenti intelligo Lutheranos) omnis publicæ calamitatis cauſas & autores eſſe, adeoqve tanqvam hoſtes humani generis tollendos, vid. Tertull. in Apolog. in verb. ſi Tiberis aſcendit in mœnia, &c. & Lutherus Kirchen-Poſtill/ Dominic. X. poſt Trinit. Wenn Unglück und Straffe für der Thür iſt/ ſo klaget und ſchreit die gottloſe Welt / wäre das Evangelium nicht kommen/ ſo wäre uns dieſes nicht wiederfahren. Suo autem gladio ſe jugulare hi videntur: calamitates qvippe iſtorum, æqve ac noſtratium orthodoxorum pulſant fores, licet vel nullus Chriſtianus (Lutheranus) intra mœnia illorum habitet. Verbo ut rem eloqvar, Deus juſtus in judicio ſuo eſt cauſa cataclyſmorum efficiens remota: nemo enim putet, ex cauſis merè naturalibus, qvibus vim

 ſuam

Digitized by Google

ſuam haut qvaqvam denegamus, hos cataclyſmos pendere, ſed ex tremendi Numinis judicio hominibus immitti. Propinqva in genere morum, ſunt corrupti filiorum hujus ſæculi mores, qvod qvidem extra dubitationis aleam pono: in genere naturæ qvænam ſit, an laborantis naturæ obſtetrices, virtus cœleſtium & ignis ſubterraneus, ego hic decidere non audeo. Videantur ſcripta publicè extantia, & adeantur acroateria Phyſicorum.

§. X.

Qvantopere delirent illi, ne qvid dicamus gravius, qvi *fato* omnia ſub ſole qvæcunqve etiam fiunt, imputant, non eſt, qvod prolixe hoc loco diſputem. In illorum cenſu potisſimum fuere Stoici, qvi ſcelera etiam necesſitate qvadam inevitabili fieri crediderunt; verum hoc non ſolum ab Eccleſia, ſed etiam Philoſophorum doctrina planè alienum eſt. *Fatum aliqvod Politicum datur utiqve, cujus doctrina civilis prudentiæ ſtudioſis debet eſſe qvam commendatisſima*, ut loqvitur Dn. Conring. de ortu & mutat. regn. §. 43. *Fatum enim agnoſcere*, ſunt verba Excellentiſſimi Dn. Profesſoris Boſii, *Fato ſe ſubmittere, Fato ſua conſilia accommodare omninò debent, qvicunqve ad clavum Reip. ſedent; ſed vero, ſed Chriſtiano, ſeu* ut alii vocant, *Theologico.* Vid. ipſum laudatum Virum in Tiber. §. 48. *Fatum autem politicum qvid aliud eſt, qvam connexio ſeu ſeries cauſarum mediorum & eventuum, qvibus Imperia ac Reſpubl. ſæpe præter omnem opinionem humanam, ac modo nobis impervio, nunc oriuntur, nunc mutantur, decreſcunt, ſervantur, ac intereunt, à Deo præſcita, ejusqve providentia cœlitus gubernata.* Conf. Lipſius in monitis Polit. c. 5. Tale fatum omnino datur, & legi plura de hoc poſſunt apud ſcriptores politicarum rerum pasſim. An autem fatalis annus is dicendus ſit, in qvo cataclyſmus evenit, daß dieſes darzu ein verſehenes Jahr ſey/ wenn dergleichen Waſſerfluthen ſich ereigenen/ non ineptè qværitur. Rem utpote altioris indaginis relinqvo decidendam politioribus ingeniis. Qvicqvid ſit hoc certum eſt, Deum, ſi in-

ſi inundationes obtingant, iſtas huic vel iſti loco, regioni, aut provinciæ, ſi meruerint, aliis in exemplum, immittendas ſecum conſtituere, adeoqve & fato præſcribere poſſe. Valeant & iſti, qvi frivola opinione ducti, olim & vera Dei cognitione deſtituti, radiantia *ſidera Deos* eſſe aſſerebant, adeoqve ab his mutationes rerumpubl. harumqve præcedentes pœnas, (ſeu monitiones potius, qvas inter hic aqvarum inundationes numero) proficiſci firmiter credebant.

§. XI.

Cauſa materialis, qva Deus utitur, eſt undarum multitudo, ubi cataractas cœli, ut ſupra diximus, aperit, id eſt, vim nubium in guttas reſolutarum frangit, & uno impetu diſcutit, ut aqvæ plenis gurgitibus in deſtinatum locum irruant. Non enim ſemper cum tonitru aut fulmine (de qvo Juvenalis Poëtarum more fabulatur in Satyr. 13. per Vulcanum in taberna Ætnæ montis nigra fieri, ut tres iſtos fabriles ſervos, Bronten, Steropem atqve Pyracmona graphice (falſo tamen & pure fictitio, ut dixi, Poëtarum more) inducit, de qvibus etiam videri poteſt Virgilius 8. lib. Æn.) inundationes obtingunt, qvod nec in primo diluvio fuiſſe factum legimus, ſed absqve hoc evenire poſſunt. Et licet aliàs non de nihilo ſit vulgi opinio, qvæ periculum maxime abiiſſe putat, poſt pluviam, tempore qvidem tonitru, tamen aliud latere poſſe ſæpius apparet, ut infrà cap. 2. hujus exercitii demonſtratur, qvando tonitru cum pluviis longiuſcule durat, tunc periculum eſt, ne malum aliqvod nobis immineat, aqvæ creſcant, qvævis obvia ruant ac devaſtentur.

§. XII.

Fluvius qvidem unus præ altero ſæpe ejus eſt indolis, ut, licet modice pluat, citisſime creſcat, qvalis eſt, v. g. Pliſſa patriam meam alluens, ut & Elyſter (ceu perhibetur) prope Geram, Leutera Jenam permeans &c. aliàs etiam æſtus maris, de qvo Phyſici miris modis diſſentiunt, cataclyſmis accenſendus eſſet, qvod tamen hoc ſenſu, atqve nos ſumimus cataclyſmum, vix aſſeruerim. Verùm niſi Deus ſit

ira

iratus, velitqve locum aliqvem punire, ejuſcemodi augmenta fluminum, utpote citò iterum dilabentia, nos affligere adeo non poſſunt, qvæ proinde etiam cataclyſmorum nomine venire poſſe vix videntur.

§. XIII.

Cauſa formalis cataclyſmorum (horret calamus) eſt immenſa aqvarum congeries, & per hanc porro data miſeranda in aqvis hominum & beſtiarum ſuffocatio, ædificiorum, agrorumqve everſio; eſt deletio, excidium & ruina locorum â feritate undæ facta. In hac autem triſti admodum materia diu non immorabimur hoc in §. cum ſeqvens caput cataclyſmi formam, ut & objectum, plenius & ad nauſeam loqvetur.

§. XIV.

Deniqve finalis eſt ex parte qvidem DEI, juſtitiæ executio? ſcil. ubi aliis mollioribus viis Numen Opt. nihil in homine proficit, tandem juſtitiæ ſuæ iſto rigore ſatisfacit, promeritas immittendo pœnas: ex parte autem hominum proxima eſt admonitio de imminentibus malis pœnæ, remotius autem vitæ emendatio, & ad ſtudium innocentiæ excitatio.

Diſcant juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

CAPUT

CAPUT II.

SUMMARIA.

Aditus ad hiſtoriam Cataclyſmi paratur, §. 1.
De urbe Vinaria qvadam ὡς ἐν παρόδῳ, §. 2.
Mentio Scriptorum, qvæ hujus Cataclyſmi hiſtoriam attigere, §. 3.
Tempus cataclyſmi deſignatur, item conſtellatio cœli, §. 4.
Antecedentia, §. 5.
Ingredientia, & qvidem Molis aqveæ acceſſus. §. 6.
Furor, §. 7.
Strages Hominum, jumentorum, ædium, ſuppellectilum, §. 8. 9. 10. 11.
Duratio, §. 12.
Loca affectata, Thuringia, Vinaria, pagi, §. 13.
Damni æſtimatio, §. 14.
Conſeqventia referuntur, §. 15.
Qvæ eodem anno evenere alia, Mortes Clarorum Virorum, &c. §. 16,

§. I.

ATqve nunc ipſam *Cataclyſmi Thuringiaci*, ſive, ut vulgus noſtrum appellat, *Diluvii Vinarienſis* expoſitionem aggredior, in qva qvidem eo procedam ordine, ut qvæ ipſum *antegreſſa*, præmittam; poſt miſerandam *ejus faciem* inſpiciam; tum deniqve *qvæ id inſecuta fuere*, recenſeam. Gravis eſt recordatio tanti mali; & videri poterat, Thuringiæ, qvæ ex diuturno bello vix dum emerſit, παθημάτων iſtiusmodi commemoratione vulnera nondum obducta ſatis refricanda non eſſe. Sed juvat nihilominus exteris vires regionis amplisſimæ, per tot mala etiam non plane exhau-

Digitized by Google

hauſtas,poſteris verò exemplum iræNuminis,pœnitentiæqve argumentum ob oculos ponere. Nec deſunt in exemplum, qvi Cœli iſtas (ſic cum Poeta loqvar) injurias ſcriptis comprehenderunt, ſeculorumqve memoriæ inſinuarunt, qvorum veſtigia legere qvid vetat? Sic Tacitus ſub Tiberio notavit tonitrua, qvæ potiores Aſiæ urbes diſcutiendo everterunt. Sic Dion Caſſius, tempore Trajani, Antiochiam demollentes tempeſtates graphicè deſcripſit. Et qvid opus eſt, autores omnes denominare, qvi de calamitatibus rerumpubl. unqvam ſcripſerunt? ad præſentem rem hoc parum faciet: præfati ſumus abunde ſatis: qvod noſtri eſt muneris agamus porrò.

§. II.

Urbs Vinaria, qvo anno condita ſit, eqvidem certò dicere non poſſum, fortè nec alii: multa tamen ſæcula eam ſtetiſſe eſt admodum probabile, ſicut longiſſima ante tempora Comites t. t. Orlamundanos ibi ſediſſe, nec non tempore Othonis I. Imperatoris, h.e. A.C. 936. *comitia & conventus publicos ibi habitos fuiſſe*, me aliqvando legiſſe memini. Dicitur Græcè Oenagora, qvaſi Weinmarck/cujus laus eleganter adumbrata à per-Rev. atqve Clariſs. Dn. M. Adriano Bejero, Archidiac. hujus loci meritisſimo, in peculiari tractatulo, pro re nata forſan typis excudendo, prolixe legi meretur. Et ſicut ſplendidisſima illa civitas Electores, Principes, heroas, viroſqve eruditos atqve ſatis celebres omni tempore protulit: ita è contrario horrenda notatuqve oppidò digna ibi contigere. Sic aliqvando frumento in hac urbe pluiſſe perhibent, forſan eo tempore, qvo aliqvibus in locis Thuringiæ frumento pluit, qvod fuiſſe factum A. Chr. 825. refert Binhart. lib. 1. Chron. Thur. p. 52. & Rivand. p. 84. Sic an. 1555. d. 6. Jun. per tres dies aqva foſſæ circa arcem in ſanguinem converſa ſtetiſſe dicitur, item an. 1558. ut ſuprà attulimus, etiam magna fuit ibi aqvarum inundatio, non tamen talis, qvæ mox deſcribetur. Taceo non una vice graſſantem illic peſtilentiam, & alios caſus huc non trahendos.

Jam

Digitized by Google

§. III.

Jam ſuprà vice plus ſimplici profeſſus fuit, ante me vix qvemqvam ſub diſputationis incudem hanc materiam revocaſſe, imo raros admodum inter Hiſtoricos eſſe, qvi vel mentionem hujus Cataclyſmi faciant, Atqve in iſta opinione confirmat me defectus ſcriptorum idoneorum. Vix enim unicus eſt, qvi ex inſtituto rem tranſigere fuit auſus, nimir. B. Langius, SS. Theol. D. Concionator Aulicus Vinar. ejusqve diœceſeos Inſpector, in der Hiſtoriſchen Relation von der Weymariſchen Sünd- und Waſſerfluth, qvæ ſubnexa eſt duabus concionibus, qvas inſcribit Wetter-Predigten. Addatur M. Köhler. in oratione de cauſis cataclyſmi Thuringiaci. M. Andreas Pulcius, Fac. Phil. Jen. Adjunctus in diſſert. hiſtorico-didactica de diluvio Thuringiaco. *Sethus Calviſius* ad annum Chriſti cIↃ IↃc XIII. paucis, prout ſcil. inſtituti ferebat ratio, rem attingit, inqviens: *Inundatio ex tempeſtatibus maxima die 29. Maji hoc anno accidit, qvâ plurimi homines cum ædibus perierunt acceſſerunt grandines, & fulmina, qvibus ſegetes perierunt. Accidit hæc calamitas præſertim in Thuringia: eandem etiam fortunam Bohemia, Saxonia, Auſtria, Gallia & aliæ regiones ſenſerunt.* Præter hunc oppidò pauci alii, ſed conciſiùs adhuc, rem proſecuti fuerunt.

§. IV.

Sed in rem veniam. Annus agebatur Mundi 5562. Æræ C. 1613. qvem enumerat vox illa Symbolica: JUDICIUM. Ad Clavum Imperii *Sacro-Sancti* ſedebat Div. MATTHIAS, cognomento *Liberalis* dictus, qvi biennio antè Fratri RUDOLPHO ſucceſſerat. Electoratus Saxonici inſignia ferebat JOHANNES GEORGIUS I. cognominatus *Felix.* Vid. Lungwizii Admiranda Saxonica Lib. I c. VI. Ducatui Vinarienſi Leges dabat Glorioſæ Memoriæ Princeps. DN. JOHANNES ERNESTUS, JUNIOR, Baliviæ Thuringiacæ Commendator. Univerſitatis proavitæ Rector duodecies, in qvo utrum flagrantiſſimum pietatis ſtudium, an

C in-

invictum animi robur qvis admirari potius debeat, ſæculum ambigit. Sed ut ſummas animas rarò diu indulgent terris Fata: ſic non adeo multis poſt annis tantum Saxoniæ Lumen Martis torrente abſorptum & cum ingenti totius Chriſtianorum gentis luctu obiit in vico d. 4. Decembr. in ſuperiori Hungaria ad S. Martini, A. C. 1626. ſepultus Vinariæ, A. C. 1627. 18. Jul. Sedem Pontificiam tum premebat *Clemens* VIII. *à qvo Veneti, repetitâ lege de bonis immobilibus non legandis ac donandis ſacri ordinis hominibus, ringentibus Jeſuitis, qverelamqve Romæ inſtituentibus, excommunicantur. Qvæ res origo fuit celebris decreti ejusd. reipubl. qvo extra urbem ac ditionem Venetam Jeſuitæ perpetuo exulare jubentur.* Vid. Boxhorn. Tab. Chronolog. Qvod tamen decretum publica auctoritate ſublatum & gangrænam Jeſuiticam poſtliminiô reſtitutam hodie eſſe, qvis ignorat? Eqvidem ſi mihi allubeſceret, curioſitatibus indulgere, aut principiis meteorologicis ex Aſtrologia deſumtis fidendum foret, ſanè dicerem, me habere, qvod allegare pasſim pro cauſa, unde tanta in Thuringiam irruptio aqvarum facta ſit. *Etenim in Conſtitutione cœli vernæ ſive Themate cœleſti ad tempus ingreſſus Solis in principium Arietis erecto deprehendimus, in ſignis aqveis ac humidis Saturnum cum Luna, Venerem item & Mercurium, ipſo Sole tum in ultimo piſcium puncto, qvod cum primo Arietis coincidit, adhuc ſubſiſtente, ex medio Cœli culmine terras haſce radiis ſuis ad inundationem pronis ferire*, ut de ſuo hæc mihi commodet Vir ampliſſ. & Excell. Dn. Erhardus Weigelius, Mathemat. in illuſtri hac Salana P. P. Celebratisſimus, alumnorum Ducalium Inſpector Gravisſimus, & h. t. Ampliſſ. Fac. Phil. Decanus admodum ſpectabilis, Dn. Patronus & Præceptor meus jugi pietate & obſeqvio ætatem venerandus, Sed iſthæc talia ad ſcopum, qvem in præſenti teneo, non admodum videntur proficua: qvare ipſorum curam aliis relinqvendam puto.

Illu-

§. V.

Illuxerat dies Maji XXIX, qvi iſtius hebdomadis curſu Saturno dicabatur. Et ſtatim à prandio, circum circa prædictam urbem Vinariam in cœlo undiqve atræ & nimboſæ nubes circumgyrabant ſe, adeò ut totus poli tractus, ad horizontem adimpleretur, & una moles nubium poſt alteram irrueret. Tempeſtates cernebantur diverſæ atqve immotæ primum, qvaſi exercitus aliqvis aciem tentaturus. Poſt qvartam pomeridianam audiebantur fragores absqve ulla intermisſione. Poſt qvintam horriſonus in aere clangor, (qvid tum animi incolis fuiſſe ſentis?) percipiebatur, qvem freqvens tonitru propter metum grandinis fulminisqve ictus non parum formidabilem reddebat. Qvamvis enim Vinariæ, grando non adeò ingens damnum dederit, parcius qvippe decidens; aliis tamen in locis qvascunqve fruges agrorum planè deperdidit; hujusmodi enim tempeſtas in qvibusdam pagis ad horas qvinqve durans diſſipare qvid non valet? Alibi raræ & inuſitatæ magnitudinis, alibi cuſpidatim, in figura cochlearum alibi, ut gallinarum ova formata grando decidit, ut qvoqve pecudes & oves in cratibus tum commorantes nihilqve tale metuentes interemerit; alibi tecta domorum ſcandulis operta confregit, feneſtrasqve plurimas miſere foravit atqve diſcuſſit. Ab hora 6. usqve ad matutinam tertiam (horrendum dictu) tonitrua fuere, nimbiqve cum fulgure & ignibus mixti ſturnatim in terram decidere, ut nemo non Deum ad judicium adeſſe, finemqve mundi inſtare crediderit. Adeò clementia, ignis, aer, aqva, terra ſe permiſcuere! Et cum aliàs tonitrua (ut putant) remittere ſolent, qvando nubes ſunt reſolutæ, imberqve decidit, ut ſuprà adduximus, hic planè nullus fuit finis, etſi ignis & imber acervatim continuò dilapſus fuerit, immixtaqve grando ad aliqvot horas duraverit. Eqvidem Deus O. M. viridia terræ naſcentia lætamqve campi ſegetem terrigenis oſtenderat, e qvibus tum temporis ob penuriam annonæ labo-

 ran-

ranti Thuringiæ utiqve ſuccurri potuiſſet; ſed funditus periit, qvicqvid extitit in campo.

§. VI.

Sed diſtinctius de his agendum. Poſt horam modò dicti diei ſextam pomeridianam; cum vis grandinum, nimborum & tonitru invaluiſſet, unoqve fulminis ictu duæ jam domus proſtratæ, & in foſſam, qvâ mœnia urbis ambiuntur, dejectæ eſſent, Ilmus, fluvius exiguæ molis, derepentè intumeſcebat ſuprà qvàm credi poteſt, inde ex proximis colliculis, item per vias atqve declivia torrentes inſolitæ magnitudinis advolvebantur. Procul verò omni dubio hæ undæ ex ruptione fœcundæ nubis, qvam in confinibus accidiſſe crediderim, proveniebat. Statim portæ urbis ſuperiores, nimir. Erffurtina & B. Virginis occupatæ, plateæ inundatæ, domus atqve cellæ adimpletæ ſunt, ut nemo neqve pedes neqve eqves in publico agere, non vicinus vicino ſuccurrere valeret. In his anguſtiis multi civium, alia non fruebantur luce, qvàm qvæ ex ſibilantibus fulminum ictibus affulgebat, certi ultima ſubire. Protrahebatur ſcena feralis in noctis decimam, circa qvam rabies undæ remittere non nihil & ad minora redire ſpatia videbatur, qvamvis fulmina & fragores antiqvum obtinerent. Simulac iſta remiſſio animadverteretur, gaudia & jubila inter cives excitabantur: multi in genua procidere & Jovæ Liberatori vota nuncupare, alii teneram ſobolem in chorum agere, & *Te Deum laudamus* &c. pleno ore incinere: vivere omnia, & in tuto navigare. Verum jubila intempeſtiva & gaudium minus diuturnum fuerat. Circa noctis qvippe meridiem grandines recrudeſcebant, nimbi tanqvam exercitus per qvietem refectus, integris viribus ingruebant. Torrentes ex ſuperiori parte in urbem incurrebant, ex inferiori Ilmus invadebat, ut cujus vires in tantum interea fuerant auctæ, ut portam dictam das Regelthor/ ſibi ſubjiceret, hácqve ſublimior iret. In cujus

rei

rei memoriam adhuc hodiè poſt portam hanc liniæ nigricantes in nonnullarum domorum poſtibus conſpiciuntur, indicantes ſublimitatem, ad qvam Ilmus excurrens tum adſcenderit. Hæc mala prioribus multum graviora. Vinaria unda erat & Oceanus. Vinariam Vinariæ qvæſiviſſes.

§. VII.

Sub his omnibus unum notato inprimis dignum occurrit. Nimirum inſolentia & feritas undæ apparuit ea, qvam contendere cum aliis ægrè valeas. Ipſa ſiqvidem non ſolùm in campo aperto inſtar furibundæ beſtiæ graſſata eſt, agrorum ſolum ſcindendo, hortorum delicias conterendo, ſylvas & arbores frugiferas in plano naſcentes eradicando, ingentia ſaxa loco movendo; ſed etiam in locis habitatis, ubi ædium firmamenta ſe ei oppoſitura, ejusqve immanem impetum cohibitura videbantur, deſæviit in tantum, ut domus integras, ſatqve magnas arriperet, qvaſſaret, tolleret, ſecum raperet. Etiam muris claudi ſe ægrè ferebat: in cellis enim & conclavibus domorum ſeſe motitabat, ſpumabat, fervebat, ſtridebat, planè admodum vini recentis, cum hoc calet maximè. Juraſſes ei vim animalem, propemodùm mentem ineſſe, qvâ ſentiret, qvænam objecta iræ Numinis eſſent, qvi invadendi, de qvibus vindicta ſumenda. Irruebat, inſtabat, premebat, non ceſſura, niſi ſuperaſſe. Ejus altitudo, tanta erat, qvandam terra poſt diluvium univerſale unqvam vix viderat. Circa portam B. Virginis, aſſurrexerat eò usqve, ut imaginem B. Virginis in ſublimi poſitam allueret, devenuſtaretque. Sumtu poſtmodum publico Imago reparata, hisqve inſcripta rhythmis eſt:

Diß Bild andeutet noch/wie vor/
Unſer lieben Frauen Thor.

His eventibus, qvid ſupererat, niſi ut tota Vinaria

ſubverteretur. Mors præſentisſima omnibus. Vicini vicinis, conjuges ſibi invicem, parentes liberis valedicebant, liberi parentes amplexabantur. Qvantum ſtrepitus undæ permittebat, audiebantur intereuntium næniæ: **Gute Nacht / lieber Ehe-Schatz; tauſend gute Nacht lieber Vater / liebe Mutter / behüte dich GOTT / liebes Kind / ich fahre nun dahin / im ewigen Leben wollen wir einander wieder ſehen/ etc.** Alii auſpicabantur cantiunculas, qvas in uſum extremorum didicerant: **GOTT der Vater wohn uns bey/ ꝛc. Nun bitten wir den heiligen Geiſt ꝛc. Mit Fried und Freud ich fahr dahin ꝛc.** & ſimiles plures. In ipſo autem verborum pronunciatu domus unà & ipſi cum ſuis abſorbebantur. Ut in paucis exemplis multorum calamitatem exhibeam, addo. Civis Vinarienſis, cui nomen Nicolaus Oſe hujusqve uxor, conſpicientes domum ſuæ vicinæ, Reginæ **Heckerin** / in medio alveo verſari, hanc inclamant, oraret & DEO ſe commendaret: qvibus ipſa reſpondit, agite, canamus. **Nun bitten wir den heiligen Geiſt / ꝛc.** illi aſſentiuntur. Dum prima vox, **Nun** / pronunciatur, ædes Oſii cum ingenti fragore ruunt, abſorbentur, nec rebus nec perſonis emergentibus. Cuſtos pecorum Meliingenſium qvatuor alebat filiolos, qvorum tres ſtatim in acceſſu molis aqvæ ſuffocabantur, Qvartus, natu minimus, cum aqvas iſtum in modum augeri cerneret, matrem ſciſcitabatur: mea mater: anne qvi aqvis ſubmerguntur, etiam in cœlos pertingunt? Cui illa: ſi fidem in Chriſtum retinuerint, utiqve. Ad qvæ puellus: **Ei ſo wil ich gern erſauffen. Gute Nacht / lieber Vater / gute Nacht / liebe Mutter.** Ita verò ſubmerſus abſorptusqve fuit. Plura addere eſſet in proclivi. Sed properamus ad alia.

§. III.

Interiit in ſtrage numerus hominum certe amplus, amplior varii generis pecorum, ſuppellectilium ineffabilis,

bilis cum intra Vimariam, tum in orbis agro & confinibus. Habeto Lector Benevole, brevem indicem: *Vinaria* ſubmerſæ domus XLIV. ſuffocati homines LXV. in prædio Ducali ſuburbano XX. eqvi, XXVII. vaccæ lactigeræ, VIII. vaccæ intactæ. XII. vituli ablactati, VI. boves ſaginati, XV. Capellæ, XVII, diverſi ſexus & ætatis ſues, CXX. anſeribus anatibus & gallinis non computatis.

§. IX. X. XI.

Vinariæ ſuperiori, ut & Ehringsdorffi domus XXXIII. horrea XII. ſtabula XX. homines XXVII. CCXC. diverſarum pecoris ſpecierum individua. Præterea mœnia parochiæ ſolidisſima perforata, ponsqve ingentis firmitudinis dejectus. Loqvitur rem hanc lapis, qvi prope pontem reparatum in viatorumſe ingerit oculos, Super. Vinar. his verbis:

Die ſchrecklich groſſe Waſſerfluth/
Welch war ein Straff und Gottes Ruth/
Hat im 1613ten Jahr/
Als der 29. Maji war/
Hinweg geführet an dieſem Ort/
Ein ſteinern Brücken/und dann fort
Der Menſchen viel und Vieh erſäuffe/
So all der Ilmſtrom mitgeſchleiffe.
Dieſelb gantz neu iſt wieder gebaut/
Von Holtz zur Stell/wie man hier ſchaut/
Im Jahr 1615. auffgeführt/
Als Hertzog Johann Ernſt der Jünger regiert.

Joach. Kreich. P.

Mellinga LVIII. domos, XL. horrea, CXI. diverſa ſtabula, XXIV. homines, DXXVI. pecora.

Magde-

Magdala IV. domus unà cum ſtabulis & horreis XVI. homines XXXIX. pecora.

Döbritſchii LXXV. oves grandine perire in cratibus.

In Parochia *Sünderſtadienſi* mit den Filialen Loßnitz und Söllnitz/ VII. domus III. homines, XIII. pecora.

Götterni XIII. domus, XII. horrea ſtabula IX. homines, LI, pecora.

Capellendorff/ II. homines III. pecora.

Apolda VII. domus cum horreis & ſtabulis XXIV, pecora.

In Parochia *Buttelſtadienſi* IX. domus cum horreis & ſtabulis, XXVI, Im Filial Weiden III. domus, XXXV. pecora.

Groſſenbembrachii LXXX. domus, C. horrea, XXXIX. homines.

Leibfeld, VI. pecor, Gutmanshauſen/ IV. horrea V. domus.

Volsbergii XIII. domus, XXII. horrea XIV. ſtabula, II. homines CXVII. pecora.

Klein Rüderſtadii XII. domus IV. horrea VII. ſtabula, VI. pecora.

Stâdii, IV. domus unus, XX. pecora.

Krauthemii XIX, domus, cum ſtabulis, XVI, homines, XXXIX. pecoro Im Filia Hegendorff / I. vacca III. ſtabula, I. horreum.

Marckvippachii V. horrea, II. ſtabula I. molendinum petiit, V. pecora.

Schwerſtädt/ III. domus, X. pecora.

Lehnſtadii, XX. domus, XIX, ſtabula, III. homines, XI. pecora, 100. Feder=viehe.

Buſſart, I. poos, V. pecora.

Hammerſtadii, II. homines, XXVI. pecora.

Tiefurti IX. domus, VII. homines LII. pecora.

Ulrichshalbii, XLIII, domus & horrea, IV. homines, XI. pecora.

Fic

Digitized by Google

Fiedelhuſa, VII. domus, XI. horrea, II homo., IX. pecora.

Eberſtadii, XXXVIII. domus, XXIII, homines, LXXXV. pecora.

Groſſen-Krumsdorfii, XXVI. domus, XVI. homines, CCCLXXVIII. pecora.

Dennſtedt, I. molendinum, VI. pecora.

Bercka, XXII. domus IV. pecora.

Ammersbahii, I. homo.

Ober- & Unter-Leitra, VI. domus, I. molendinum IX. homines.

Maua, XV. domus, XX homines.

Alia qvamplurima, qvæ unà cum perſonis & domibus peſſundata fuerunt, non recenſemus. Qvis enim enumeret?

§. XII.

Tonitrua iſta, fulgura, grandines atqve nimbi porrò ab hora noctis 12. duravere ad tertiam usqve, circa qvam cœlum albeſcere, diemqve redeuntem promittere incipiebat. Qvam deſiderata hæc lux iſtius tractus incolis acciderit: Tu cogita. Ferebat certè multis occaſionem ſe ex ruderibus deſtructarum ædium expediendi; aliis faciem loci, in qvem abrepti fuerant, aperiebat; aliis detegebat fulcimenta, qvibus nixi emergerent; aliis ripam commonſtrabat: certè omnibus ſpem vitæ hucusqve periclitantis ſalvandæ pariebat. Poſt ortum ſolis, procellis ſenſim decreſcentibus, ut qvibus alimenta nimbi non amplius preberent, reſedit impetus diluvii, & terra, initio qvidem in locis editioribus, poſtmodum & in declivibus, demum autem ubivis eminuit & liberata eſt. Non poſſum, qvin hic adjiciam exempla nonnulla manifeſtiſſimæ providentiæ, ut qvæ in ipſo caſtigationis ictu viſcera miſericordiæ effundere gaviſa eſt.

Toto iſto tempore, qvo procella ſæviit, qvamvis nullus propemodum urbis angulus non infeſtaretur, & aqvæ Ilmi per foſſam, qve arcem Ducalem cingit, illaberen-

ten Thor erant propinqva, his innititur, animam Creatori ſuo commendans, & fata ſua exſpectans. Interea temporis uxor cum ſobole atqve ancilla intra ſpondam cubilis ſui vecta eidem portæ cum ejulatione & clamoribus continuis appropinqvat. In eo jam erat, ut ſponda per portam ejiceretur, & furori procellarum in alto traderetur. Hic præſentiſſimæ mortis facies ſeſe offerebat. Aſt inexputabili divina bonitate factum eſt momentô, ut trabium una & altera ſpondæ anteverteret, portæ ſe obvolveret & tranſitum prohiberet. Sponda ergò rejecta ad iſtud latus ac ſtabulum, in cujus ruderibus maritus hærebat, qvi uxore & ſobole, ancilla item ad ſe pertractis evaſit unà cum ipſis.

Lehnſtadii, in domo qvapiam oppidò humili, omniumqve minimè munita procellis autem qvam proxima, confluerant homines diverſi ſexus, diverſæqve ætatis, numero XXVII. Hi cum aqvarum vim ſingulis momentis augeri cernerent, ex conclavi inferiori ſe receperunt in id, qvod omnium erat ſupremum. Ibi itidem ab aqvis deprehenſi ſunt, qvin procellæ ſumma tecti dejecerunt. Nihil ergo certius rati, qvàm illicò ſibi intereundum eſſe, in mutuos ruebant amplexus, neceſſarii neceſſarios, parentes liberis, conjuges conjugibus ultimum Valedicentibus. Uno ore incipiunt canere: **Mit Fried und Freud ich fahr dahin** *etc.* Ecce autem, eo ipſo momento aqvæ ſteterunt, ſenſim decreverunt, omnes iſti ſervati ſunt.

Ad manum ſunt exempla longæ plura, qvæ utiqve in medium nunc proferre valerem, niſi jam tum adducta abundè fidem facerent ei, qvod paulo ante aſſerui; ſcil. Numen Opt. Max. in ipſo gravisſimi hujus excidii ictu infinitæ ſuæ miſericordiæ non dememiniſſe, ſed ejus documenta ſane, luculenta dediſſe. E qvibus & hoc eſſe cenſendum eſt, qvod multi eorum, qvi in procellis egerant, & cum ultimis luctati fuerant, poſtmodum ultrò ſint faſſi, ſe ſenſiſſe in mediis aqvis, qvod moles ſuorum corporum tanqvam manu ſuppoſita, ſublevata in ſuperficie aqvarum ſuſtentata ſit.

Ex

Digitized by Google

§. XIII.

Ex iis, qvæ hactenus expoſita fuerunt, obſcurum amplius non eſt, ecqvænam loca effreni iſto aqvarum furore fuerint tacta, ſcil. nobilisſima regio Thuringia, qvæ ſuo jam ſinu me fovet, cujusqve aliqvalem mentionem feci ſuprà. Qvamvis enim undæ ſe poſtmodum etiam in aliarum regionum faciem effuderint, ibi tamen æqvè non ſevierunt. Thuringiæ igitur præcipuam noxam intulerunt, hanc devaſtarunt, hujus incolas ſuffocarunt, domus ac ſupellectilia fregerunt, deſtruxeruntqve. Ex omni autem Thuringia una ſola Vinaria cum agro circumjacente inprimis eſt vexata, id qvod ex indice ſtragis ſuperioribus paragraphis deſcriptæ apparet. Hinc probabile judicatur, fractionem nubis fœcundæ, ex qva tanta aqvarum vis provenerat, non procul à Vinaria, circa montana accidiſſe, indeqve primo impetu in urbem irruiſſe.

§. XIV.

Damni, qvod per diluvium iſtud regioni & inprimis urbi Vinariæ datum eſt, æſtimationem facere, qvis eſt tam temerarius, qvi auſit? Nemo vel exactisſimorum Politicorum hanc ſpartam ſibi hactenus ſumſit. Reperti verò ſunt, qvi judicarunt, ipſam fœcunditatem ſoli tantopere exhauſtam fuiſſe, ut ſæculi curſu ne reſtitui qvidem poſſet. Qvod verò judicium, Dei gratiâ fefellit. Floret qvippe hodiè, & jam ante plures annos effloruit Thuringia, pingveſcit ſolum Vinarienſe, reſtitutus ager eſt. DEUS hunc ei florem ſervet.

§. XV.

Qvid tandem inſecutum ſit hunc Cataclyſmum, id, ſed breviter, puto ſubnectendum eſſe. Altero die, qvi menſis Maji 30. ſed in ordine ſeptimanæ Dominicus erat, undæ nonnihil ſubſidebant paulatimqve dilabebantur. Vidiſſes omnem Vinariam colligere rudera, numerare funera, fletu & ſingultibus mali exantlati emetiri magnitudinem: deplorabant conjuges ablatam thori partem, paren-

 tes

Digitized by Google

tes recitabant ultima perituræ ſobolis verba, liberi orbitatem ſuam, domeſtici ſolitudinem accuſabant. Verè luctuoſa Vinariæ erat facies. Nec minus in agro circumjecto planctus & gemitus exaudiebantur. Qvis enim eſt, qvi hæc legendo vel audiendo temperet à lacrymis: Tantum abeſt, ut ſiccis oculis eadem perferre qvis valuerit. Sereniſſimus tum temporis imperans Princeps, item prudentiſſimus Senatus Oppidanus prorſus nihil fecit reliqvi eorum, qvæ ad munus probi patris Patriæ videntur ſpectare. Juſſu publico inqviſitum fuit in nomina perſonarum, qvæ deſiderarentur, rudera ſubrutarum ædium fuere ſubmota & perqviſita, qvô, ſi fieri poſſet, cadavera eruerentur. Miſſi ſunt, qvi in publicis viis, in declivibus viarum, in arbuſtis, qvaqva verſum iri poterat, inqvirerent, num periclitantes de vita alicubi hærerent, ut iſtis ſuccurreretur. Glorioſæ memoriæ Princeps civibus ut & ruricolis ex ſumma munificentia ligna cædua eſt largitus, qvibus unus novas inſtrueret ædes, alter diſtractas & laceratas reparet. Porrò illis, qvos malum præ cæteris preſſerat, penſio tributorum annua ad tempus definitum fuit remiſſa. Deniqve, ne unqvam tantarum cladium intercideret memoria, juſſu Ejusdem Sereniſſimi inſtituti ſunt conciones anniverſariæ, qvæ ad noſtrum hoc tempus usqve perdurant. Scil. qvotannis die 29. Maji habetur concio pœnitentialis publica, qva diluvii noſtri recolitur memoria, & cœtus mala iſtiusmodi deprecatur. Vulgus iſtas conciones appellat die Waſſer-Predigten/magnaqve cum attentione iis intereſt. Habita & hic Jenæ fuit eo anno concio hujusmodi à pl. rev. atqve Excell. Dn. Joh. Majore SS. Theol. D. Prof. P. & Superintend. b. m.

§. XVI.

Cæterum is ipſe annus etiam aliis eventibus clarus eſt, Evenit qvippe eodem in Weſtphalia, Osnabruggæ, ut furor ſævientis Vulcani longè lateqve omnia depopularetur: ſcil. ſplendidiſſimas baſilicas, ſuperba palatia, inſtructiſſimas

mas domus una cum delitiis varii generis, prætio inæſtimabili valentibus, abſumeret. Thuringia qvidem cum ſua Vinaria in Inſulam, ſed Weſtphalia cum ſua Oſnabrugga in cinerem verſa eſt. Illo ipſo anno Ratisbonæ in Comitiis publicis Status Proteſtantes, ſe in exercitio Religionis conceſſo, turbari graviter ad Imperatorem qverebantur. Sub idem tempus Sigismundus Bathori, Dux Tranſſylvaniæ, obiit diem Pragæ, ibiqve nactus ſepulturam fuit. Glorioſæ recordationis Princeps, Heinricus Julius, Dux Brunſvicenſis, itidem Pragæ moritur. Sic & glorioſus Princeps Erneſtus, Marchio Brandenburgicus, Johannis Sigismundi Electoris Fratris, ultimum diem Berolini fecit. Idem annus emortualis fuit Qvirino Reutero, Theologo, *vid. Simon. Stenium in orat. funeb.* item Jodoco Lucio, Medico præſtantisſimo, *videantur Melchioris Adami vitæ Germanor. Medicorum p. m. 419*, item Rudolpho Schnellio, Viro in omni Philoſophia verſatisſimo, *vid. eund. in vitis Germanor. Philoſophor. p. m. 507.* Sed ſatis qvidem de iis, qvæ Diluvium Vinarienſe anteceſſerunt, ingreſſa & conſecuta fuerunt.

CAPUT III.

SUMMARIA.

P*Oliticus Medico ſimilis*, §. 1,
Ejus officium in prodigiorum, qvale cataclyſmus, acceſſu, §. 2.
In prodigiorum duratione, §. 3.
In prodigiorum receſſu, §. 4.
Subjectisſimum pro ſalute inclyta Domus Saxo-Vinarienſis, Votum, §. 5.
Concluſio, §. 6.

§. I.

QVi Politicum *ἀνδρὶ ἰατρῷ* ſimillimum eſſe dicunt, atqve id propter *Medicum animorum* ſalutant, ii à veritate nil qvicqvam alienum committ-

mittunt. Sunt qvippe capita numero plura in qvibus Viro politico exactè convenit cum Medico, qvæ citra ullum laborem recenſeremus, niſi thematis noſtri terminus nobis ante oculos verſaretur. Medicus, ut unum hoc de officio addamus, & præſervat & liberat à morbis: Politicus civitatem à calamitatibus non minus præſervat, qvam liberat, qvin præcipuum ejus munus, & laus prima in eo conſiſtit, ſi mala civitatum imminentia prævidere, præviſa avertere valeat. Medicus etiam in illis morbis, qvi τὸ θεῖόν τι habent, manum ægro non ſubducit, ſed cum avertere non poſſit malum, id ſaltim agit, ut toleratu fiat facilius: Politicus in malis, qvæ ſupra hominem ſunt ut loqvitur *Philoſ. 3. Et hic. Nicom.* Civitati non deeſt, ſed cum hæc ſua natura ita comparata ſint, ut aliqvando prævideri unqvam vero averti neqveant, is id operam navat, ut civitas ne funditus perdatur, ſed, qvamvis bene qvaſſata, ſuperet tamen ac emergat. Verum res hæc intellectu facilis eſt, & ab aliis alibi per membra comparationis oppidò multa diducta ac penitus excuſſa.

§. II.

Exercet politicus manum medicam in civitate cum aliàs, tum verò & inprimis, ubi prodigioſi eventus ingruunt, ſcilicet cum Cataclyſmi ſæviunt, cum Vulcanus furit, cum fulmina undiqvaqve graſſantur. Nobis nunc de Cataclyſmo ſermo eſt. Hunc qvia prævidere etiam perſpicaciſſimi politicorum vix qveunt, certum eſt, nec ipſos eum avertere valere. Qvod ſi tamen aliqva regio, urbs aliqva, Cataclyſmo familiariter urgeatur, munus politici exiget, ut ſuperficiem ſoli ita attemperet, qvò potisſimus aqvarum impetus per declivia ab arte data, tanqvam per viam aliam, abducatur. Hoc fine foſſas conficiat, munimenta mœnibus addat. Adjutus diſciplinarum nobiliſſima, qvam dicimus ingeniariam. Aſt ubi Cataclyſmus infreqvens eſt, in ejus acceſſu politicum decet animum in omnes eventus præparatum oſtendere, cives, ſi locus ſit, monere? niſi locus mo-

monendi, qvantumcumqve poteſt, juvare. Conſilia ex arena ſæpè hic optima. Maximè proſpiciendum eſt Bibliothecis publicis, Archivis, Baſilicis &c. ſi qva ope his ſuccurri posſit, efficiqve, ne unda eò pertingat. Inde ex Schola ſuperſtitionis, Papatu, ad nos traducta eſt opinio, ubi Evangelium S. Johannis ſuperſtitioſe contra vim tonitruum de collo ſuſpenditur, perhibeturqve, tempeſtates, item Cataclyſmos averti poſſe diſploſione tormentorum, & pulſu grandiorum campanarum. Qvæſiveris, annon è munere politici ſit, ad hæc confugere media? nos dicimus, eqvidem per ſonum campanarum, murmurqve tormentorum aërem contremiſcere, non nihil rarefieri, nubes ſolvi, & tempeſtates emolliri poſſe. Aſt verò eam in campanis atqve tormentis vim, qvam gens Pontificia credit, nos non agnoſcimus. Gens Pontificia campanas & tormenta ſacri baptiſmatis fonte abluit, hos ipſos in uſus, à qvo ſacramenti longe ſublimiſſimi abuſu nos noſtrates dehortantur Doctores, qvos jure ſeqvimur meritoqve. Von den abergläubiſchen Wetter-Läuten integra extat conſtitutio Electoralis Sax. de an. 1573, articulo 39. hæc nimirum: Sonderlich aber ſoll das Abergläubiſch und Abgöttiſche Wetterläuten/ (der Urſach die Glocken im Bapſtthum mit läſterlichem Mißbrauche der Stifftung Chriſti getaufft werden daß ſie die Krafft haben ſollen den Hagel und ſchädliche Wetter abzuwenden) wo es noch im Brauch/ abgeſchaffet und nicht geſtattet/ dargegen aber das Volck zur Buß und Chriſtlichem eiferigen Gebete vermahnet werden dadurch der Zorn Gottes geſtillet und ſolche Plagen abgewendet werden mögen. Aliàs de campanis hi circumferuntur verſiculi.

Funera plango; fulgura frango; ſabbata pango.
Excito lentos; diſſipo ventos; paco cruentos.

qvos obiter ſaltem adduco.

§. III.

Poſtqvam rigor prodigiorum invaluit, noſtraqve civitas

invictum animi robur qvis admirari potius debeat, ſæculum ambigit. Sed ut ſummas animas rarò diu indulgent terris Fata: ſic non adeo multis poſt annis tantum Saxoniæ Lumen Martis torrente abſorptum & cum ingenti totius Chriſtianorum gentis luctu obiit in vico d. 4. Decembr. in ſuperiori Hungaria ad S. Martini, A. C. 1626. ſepultus Vinariæ, A. C. 1627. 18. Jul. Sedem Pontificiam tum premebat *Clemens* VIII. *à qvo Veneti, repetitâ lege de bonis immobilibus non legandis ac donandis ſacri ordinis hominibus, ringentibus Jeſuitis, qverelamqve Romæ inſtituentibus, excommunicantur. Qvæ res origo fuit celebris decreti ejusd. reipubl. qvo extra urbem ac ditionem Venetam Jeſuitæ perpetuo exulare jubentur.* Vid. Boxhorn. Tab. Chronolog. Qvod tamen decretum publica auctoritate ſublatum & gangrænam Jeſuiticam poſtliminiô reſtitutam hodie eſſe, qvis ignorat? Eqvidem ſi mihi allubeſceret, curioſitatibus indulgere, aut principiis meteorologicis ex Aſtrologia deſumtis fidendum foret, ſanè dicerem, me habere, qvod allegare paſſim pro cauſa, unde tanta in Thuringiam irruptio aqvarum facta ſit. *Etenim in Conſtitutione cæli vernæ ſive Themate cæleſti ad tempus ingreſſus Solis in principium Arietis erecto deprehendimus, in ſignis aqveis ac humidis Saturnum cum Luna, Venerem item & Mercurium; ipſo Sole tum in ultimo piſcium puncto, qvod cum primo Arietis coincidit, adhuc ſubſiſtente, ex medio Cæli culmine terras haſce radiis ſuis ad inundationem pronis ferire*, ut de ſuo hæc mihi commodet Vir ampliſſ. & Excell. Dn. Erhardus Weigelius, Mathemat. in illuſtri hac Salana P. P. Celebratiſſimus, alumnorum Ducalium Inſpector Graviſſimus, & h. t. Ampliſſ. Fac. Phil. Decanus admodum ſpectabilis, Dn. Patronus & Præceptor meus jugi pietate & obſeqvio ætatem venerandus, Sed iſthæc talia ad ſcopum, qvem in præſenti teneo, non admodum videntur proficua: qvare ipſorum curam aliis relinqvendam puto.

Illu-

§. V.

Illuxerat dies Maji XXIX, qvi iſtius hebdomadis curſu Saturno dicabatur. Et ſtatim à prandio, circum circa prædictam urbem Vinariam in cœlo undiqve atræ & nimboſæ nubes circumgyrabant ſe, adeò ut totus poli tractus, ad horizontem adimpleretur, & una moles nubium poſt alteram irrueret. Tempeſtates cernebantur diverſæ atqve immotæ primum, qvaſi exercitus aliqvis aciem tentaturus. Poſt qvartam pomeridianam audiebantur fragores absqve ulla intermisſione. Poſt qvintam horriſonus in aere clangor, (qvid tum animi incolis fuiſſe ſentis?) percipiebatur, qvem freqvens tonitru propter metum grandinis fulminisqve ictus non parum formidabilem reddebat. Qvamvis enim Vinariæ, grando non adeò ingens damnum dederit, parcius qvippe decidens; aliis tamen in locis qvascunqve fruges agrorum planè deperdidit; hujusmodi enim tempeſtas in qvibusdam pagis ad horas qvinqve durans diſſipare qvid non valet? Alibi raræ & inuſitatæ magnitudinis, alibi cuſpidatim, in figura cochlearum alibi, ut gallinarum ova formata grando decidit, ut qvoqve pecudes & oves in cratibus tum commorantes nihilqve tale metuentes interemerit; alibi tecta domorum ſcandulis operta confregit, feneſtrasqve plurimas miſere foravit atqve diſcuſſit. Ab hora 6. usqve ad matutinam tertiam (horrendum dictu) tonitrua fuere, nimbiqve cum fulgure & ignibus mixti ſturnatim in terram decidere, ut nemo non Deum ad judicium adeſſe, finemqve mundi inſtare crediderit. Adeò clementia, ignis, aer, aqva, terra ſe permiſcuere! Et cum aliàs tonitrua (ut putant) remittere ſolent, qvando nubes ſunt reſolutæ, imberqve decidit, ut ſuprà adduximus, hic planè nullus fuit finis, etſi ignis & imber acervatim continuò dilapſus fuerit, immixtaqve grando ad aliqvot horas duraverit. Eqvidem Deus O. M. viridia terræ naſcentia lætamqve campi ſegetem terrigenis oſtenderat, e qvibus tum temporis ob penuriam annonæ labo-

Digitized by Google

ranti Thuringiæ utiqve ſuccurri potuiſſet; ſed funditus periit, qvicqvid extitit in campo.

§. VI.

Sed diſtinctius de his agendum. Poſt horam modò dicti diei ſextam pomeridianam; cum vis grandinum, nimborum & tonitru invaluiſſet, unoqve fulminis ictu duæ jam domus proſtratæ, & in foſſam, qvâ mœnia urbis ambiuntur; dejectæ eſſent, Ilmus, fluvius exiguæ molis, derepentè intumeſcebat ſuprà qvàm credi poteſt, inde ex proximis colliculis, item per vias atqve declivia torrentes inſolitæ magnitudinis advolvebantur. Procul verò omni dubio hæ undæ ex ruptione fœcundæ nubis, qvam in confinibus accidiſſe crediderim, proveniebat. Statim portæ urbis ſuperiores, nimir. Erffurtina & B. Virginis occupatæ, plateæ inundatæ, domus atqve cellæ adimpletæ ſunt, ut nemo neqve pedes neqve eqves in publico agere, non vicinus vicino ſuccurrere valeret. In his anguſtiis multi civium, alia non fruebantur luce, qvàm qvæ ex ſibilantibus fulminum ictibus affulgebat, certi ultima ſubire. Protrahebatur ſcena feralis in noctis decimam, circa qvam rabies undæ remittere non nihil & ad minora redire ſpatia videbatur, qvamvis fulmina & fragores antiqvum obtinerent. Simulac iſta remiſſio animadverteretur, gaudia & jubila inter cives excitabantur: multi in genua procidere & Jovæ Liberatori vota nuncupare, alii teneram ſobolem in chorum agere, & *Te Deum laudamus* &c. pleno ore incinere: vivere omnia, & in tuto navigare. Verum jubila intempeſtiva & gaudium minus diuturnum fuerat. Circa noctis qvippe meridiem grandines recrudeſcebant, nimbi tanqvam exercitus per qvietem refectus, integris viribus ingruebant. Torrentes ex ſuperiori parte in urbem incurrebant, ex inferiori Ilmus invadebat, ut cujus vires in tantum interea fuerant auctæ, ut portam dictam das Regelthor/ ſibi ſubjiciret, hâcqve ſublimior iret. In cujus rei

rei memoriam adhuc hodiè poſt portam hanc liniæ nigricantes in nonnullarum domorum poſtibus conſpiciuntur, indicantes ſublimitatem, ad qvam Ilmus excurrens tum adſcenderit. Hæc mala prioribus multum graviora. Vinaria unda erat & Oceanus. Vinariam Vinariæ qvæſiviſſes.

§. VII.

Sub his omnibus unum notatu inprimis dignum occurrit. Nimirum inſolentia & feritas undæ apparuit ea, qvam contendere cum aliis ægrè valeas. Ipſa ſiqvidem non ſolum in campo aperto inſtar furibundæ beſtiæ graſſata eſt, agrorum ſolum ſcindendo, hortorum delicias conterendo, ſylvas & arbores frugiferas in plano naſcentes eradicando, ingentia ſaxa loco movendo; ſed etiam in locis habitatis, ubi ædium firmamenta ſe ei oppoſitura, ejusqve immanem impetum cohibitura videbantur, deſæviit in tantum, ut domus integras, ſatqve magnas arriperet, qvaſſaret, tolleret, ſecum reparet. Etiam muris claudi ſe ægrè ferebat: in cellis enim & conclavibus domorum ſeſe motitabat, ſpumabat, fervebat, ſtridebat, planè admodum vini recentis, cum hoc calet maximè. Juraſſes ei vim animalem, propemodùm mentem ineſſe, qvâ ſentiret, qvænam objecta iræ Numinis eſſent, qvi invadendi, de qvibus vindicta ſumenda. Irruebat, inſtabat, premebat, non ceſſura, niſi ſuperaſſet. Ejus altitudo, tanta erat, qvandam terra poſt diluvium univerſale unqvam vix viderat. Circa portam B. Virginis aſſurrexerat eò usqve, ut imaginem B. Virginis in ſublimi poſitam alluerer, devenuſtaretque. Sumtu poſtmodum publico Imago reparata, hisqve inſcripta rhythmis eſt:

Diß Bild andeutet noch/wie vor/
Unſer lieben Frauen Thor.

His eventibus, qvid ſupererat, niſi ut tota Vinaria

ſubverteretur. Mors præſentisſima omnibus. Vicini vicinis, conjuges ſibi invicem, parentes liberis valedicebant, liberi parentes amplexabantur. Qvantum ſtrepitus undæ permittebat, audiebantur intereuntium næniæ: **Gute Nacht / lieber Ehe⸗Schatz; tauſend gute Nacht lieber Vater / liebe Mutter / behüte dich GOTT / liebes Kind / ich fahre nun dahin / im ewigen Leben wollen wir einander wieder ſehen / etc.** Alii auſpicabantur cantiunculas, qvas in uſum extremorum didicerant: **GOTT der Vater wohn uns bey / ꝛc. Nun bitten wir den heiligen Geiſt ꝛc. Mit Fried und Freud ich fahr dahin ꝛc.** & ſimiles plures. In ipſo autem verborum pronunciatu domus unà & ipſi cum ſuis abſorbebantur. Ut in paucis exemplis multorum calamitatem exhibeam, addo. Civis Vinarienſis, cui nomen Nicolaus Oſe hujusqve uxor, conſpicientes domum ſuæ vicinæ, Reginæ **Heckerin** / in medio alveo verſari, hanc inclamant, oraret & DEO ſe commendaret: qvibus ipſa reſpondit, agite, canamus. **Nun bitten wir den Heiligen Geiſt / ꝛc.** illi aſſentiuntur. Dum prima vox, **Nun** / pronunciatur, ædes Oſii cum ingenti fragore ruunt, arſorbentur, nec rebus nec perſonis emergentibus. Cuſtos pecorum Meliingenſium qvatuor alebat filiolos, qvorum tres ſtatim in acceſſu molis aqvæ ſuffocabantur. Qvartus, natu minimus, cum aqvas iſtam in modum augeri cerneret, matrem ſciſcitabatur: mea mater: anne qvi aqvis ſubmerguntur, etiam in cœlos pertingunt? Cui illa: ſi fidem in Chriſtum retinuerint, utiqve. Ad qvæ puellus: **Ei ſo wil ich gern erſauffen. Gute Nacht / lieber Vater / gute Nacht / liebe Mutter.** Ita verò ſubmerſus abſorptusqve fuit. Plura addere eſſet in proclivi. Sed properamus ad alia.

§. III.

Interiit in ſtrage numerus hominum certe amplus, amplior varii generis pecorum, ſuppellectilium ineffabilis,

bilis cum intra Vinariam, tum in orbis agro & confinibus. Habeto Lector Benevole, brevem indicem: *Vinariæ* ſubmerſæ domus XLIV. ſuffocati homines LXV. in prædio Ducali ſuburbano XX. eqvi, XXVII. vaccæ lactigeræ, VIII. vaccæ intactæ. XII. vituli ablactati, VI. boves ſaginati, XV. Capellæ, XVII, diverſi ſexus & ætatis ſues, CXX. anſeribus anatibus & gallinis non computatis.

§. IX. X. XI.

Vinariæ ſuperiori, ut & Ehringsdorfii domus XXXIII. horrea XII. ſtabula XX. homines XXVII. CCXC. diverſarum pecoris ſpecierum individua. Præterea mœnia parochiæ ſolidisſima perforata, ponsqve ingentis firmitudinis dejectus. Loqvitur rem hanc lapis, qvi prope pontem reparatum in viatorumſe ingerit oculos, Super. Vinar. his verbis:

Die ſchrecklich groſſe Waſſerfluth/
Welch war ein Straff und Gottes Ruth/
Hat im 1613ten Jahr /
Als der 29. Maji war/
Hinweg geführet an dieſem Ort/
Ein ſteinern Brücken/und dann fort
Der Menſchen viel und Vieh erſäufft/
So all der Ilmſtrom mitgeſchleifft.
Dieſelb gantz neu iſt wieder gebaut/
Von Holtz zur Stell/wie man hier ſchaut/
Im Jahr 1615. auffgeführt/
Als Hertzog Johann Ernſt der Jünger regiert.
Joach. Kreich. P.

Mellingæ LVIII. domos, XL. horrea, CXI. diverſa ſtabula, XXIV. homines, DXXVI. pecora.

Magde-

Magdala IV. domus unà cum ſtabulis & horreis XVI. homines XXXIX. pecora.

Döbritſchii LXXV. oves grandine perire in cratibus.

In Parochia *Sünderſtadienſi* mit den Filialen Loßnitz und Söllnitz/ VII. domus III. homines, XIII. pecora.

Götterni XIII. domus, XII. horrea ſtabula IX. homines, LI, pecora.

Capellendorff/ II. homines III. pecora.

Apolda VII. domus eum horreis & ſtabulis XXIV, pecora.

In Parochia *Buttelſtadienſi* IX. domus cum horreis & ſtabulis, XXVI, Im Filial Weiden III. domus, XXXV. pecora.

Groſſenbembrachii LXXX. domus, C. horrea, XXXIX. homines.

Leibfeld. VI. pecor, Guttmanshauſen/ IV. horrea V. domus.

Volsbergii XIII. domus, XXII. horrea XIV. ſtabula, II. homines CXVII. pecora.

Klein Rüderſtadii XII. domus IV. horrea VII. ſtabula, VI. pecora.

Stâdii, IV. domus unus, XX. pecora.

Krauthemii XIX, domus, cum ſtabulis, XVI, homines, XXXIX. pecoro Im Filia Hegendorff / I. vacca III. ſtabula, I. horreum.

Marckvippachii V. horrea, II. ſtabula I. molendinum petiit, V. pecora.

Schwerſtadt/ III. domus, X. pecora.

Lehnſtadii, XX. domus, XIX, ſtabula, III. homines, XI. pecora, 100. Feder=viehe.

Buſſart, I. poos, V. pecora.

Hammerſtadii, II. homines, XXVI. pecora.

Tiefurti IX. domus, VII. homines LII, pecora.

Ulrichshalbii, XLIII, domus & horrea, IV. homines, XI. pecora.

Fic

Digitized by Google

Fiedelbuſa, VII. domus, XI. horrea, II homo, IX. pecora.

Eberſtadii, XXXVIII. domus, XXIII, homines, LXXXV. pecora.

Groſſen-Krumsdorfii, XXVI. domus, XVI. homines, CCCLXXVIII. pecora.

Dennſtedt/ I. molendinum, VI. pecora.

Bercka, XXII. domus IV. pecora.

Ammersbahii, I. homo.

Ober-& Unter-Leitra, VI. domus, I. molendinum IX. homines.

Maua, XV. domus, XX homines.

Alia qvamplurima, qvæ unà cum perſonis & domibus peſſundata fuerunt, non recenſemus. Qvis enim enumeret?

§. XII.

Tonitrua iſta, fulgura, grandines atqve nimbi porrò ab hora noctis 12. duravere ad tertiam usqve, circa qvam cœlum albeſcere, diemqve redeuntem promittere incipiebat. Qvam deſiderata hæc lux iſtius tractus incolis acciderit: Tu cogita. Ferebat certè multis occaſionem ſe ex ruderibus deſtructarum ædium expediendi; aliis faciem loci, in qvem abrepti fuerant, aperiebat; aliis detegebat fulcimenta, qvibus nixi emergerent; aliis ripam commonſtrabat: certè omnibus ſpem vitæ hucusqve periclitantis ſalvandæ pariebat. Poſt ortum ſolis, procellis ſenſim decreſcentibus, ut qvibus alimenta nimbi non amplius preberent, reſedit impetus diluvii, & terra, initio qvidem in locis editioribus, poſtmodum & in declivibus, demum autem ubivis eminuit & liberata eſt. Non poſſum, qvin hic adjiciam exempla nonnulla manifeſtiſſimæ providentiæ, ut qvæ in ipſo caſtigationis ictu viſcera miſericordiæ effundere gaviſa eſt.

Toto iſto tempore, qvo procella ſæviit, qvamvis nullus propemodum urbis angulus non infeſtaretur, & aqvæ Ilmi per foſſam, qve arcem Ducalem cingit, illaberentur

tur ipſius arcis humiliora conclavia: non tamen eæ penetraverunt in Cameram Archivi, in declivi qvamvis ſitam, neqve qvicqvam iſtorum Sacrorum attigêre.

In Xenodochio ſuburbano, qvod S. Laurentio dicatum, accidit, ut 4. homines, qvi conclave inferius inſederant, illicò ſuffocarentur; alii verò numero XI. qvi tenuerant conclave ſuperius, unà cum ipſo conclavi in ſublime tollerentur, per ligna per ſaxa portarentur, atqve ad ædes dictas des alten Niclaſen/ deponerentur. Has ipſi ingreſſi ſervati ſunt.

Civis cujusdam, cui nomen Nicolai Seyfarti, ædes ſublatæ in altum, atqve per jactum lapidis & ampliùs prolatæ fuerunt, usqve dum in horto Johannis Wächteri reclinarentur ad pyrum, cui trabes ſeſe advolverant. Sub lucem deprehenſum eſt, non ſolum ex ſuppellectilibus nihil periiſſe, ſed nec ollam nec vitrum loco ſuo dejectum, pleraqve inſuper arida ſtetiſſe.

Vixit tum Civis, nomine Hieronymus Moſa, artem victoriam faciens in Aula Vinarienſi. Hujus ædes jam ante molis aqveæ acceſſum ſubliminibus tactæ, proſtratæ, & in foſſam arci propinqvam præcipitatæ fuerant. Ipſe paterfamilias, tum febri laborans graviter, in foſſam dejicitur, mergitur. Sed apprehenderat ille qvicqvam ex ruderibus domus ſuæ, hocqve ipſum tenuerat firmiter; qvare una cum ipſo rurſum emergebat. Hic cernit ſuam uxorem, filiolum conſobrinum & ancillam, ſibi qvaſi in occurſum labi. Ancilla parietibus ſuppreſſa in ipſorum oculis ſungitur. Filiolus & ipſe capite ac pedibus implicatur. Sed eruitur tamen. Paterfamilias acutis unde ex ruderibus confoſſus ictibus, largo manat ſanguine. Ædibus ſuæ vicinæ propior factus unà cum uxore, puelloqve introit, inventis linteis craſſo filo contextis, qvibus frumenta diluta impoſita fuerant, ſe ſuamqve tegit, deliteſcitqve usqve dum alterum diluvium, id ſcilicet omnium nocentiſſimum, irrueret. En denuò aqvæ invaleſcentis vis ipſum prehendit,

cum

cumqve uxore ac filiolo in camera, in qva ſederat, circumgyrat, ferme ad modum anatum natitabant. Deniqve Moſa, ægro qvamvis & vulnerato vertice perforavit conclave ſuperius, inqve id adſcendit, filiolum, qvem mater linteo involutum ex collo hactenus ſuſpenderat, extrahit, matremqve ipſam capillis prehenſam (ipſa enim hoc conſilium ſuppeditaverat) ad ſe attrahit. Sed neqve hic vitæ ipſorum, hujusqve ſecuritati ſatis proſpectum videbatur: etenim unda ipſos, ut fugitivos, etiam eò perſeqvebatur. Qvare Moſa, inventâ forte fortuna clava qvapiam, parietem domus proximæ perfregit, perqve foramina in eam unà cum filio & uxore irrepit. Hic invenit cubile cum omni apparatu, in id ſe abjicit, & ſtatuit fugæ non amplius indulgere, *ſed ibidem aut ſervari aut mori.* Atqve Dei ope ſervatus eſt cum ſuis. Filius, cui nomen Martinus, poſtmodum bonis literis conſecratus, gradu Magiſterii anno 1634. in inclyta hac Salana ornatus, ſacris muneribus diverſis in locis præfectus, inqve patria demum Archidiaconus factus, multis annis fidelem Eccleſiæ Chriſti navavit operam. Vita functus eſt ſub finem anni proxime ſuperioris 1669.

Incola pagi, qvem dicunt ſuperiorem Vinariam, dum domi ſuæ agit, unà cum domo abripitur, perqve ſpatium, qvod demetiretur jactus globuli è bombarda, deportatus, tandem in Medium Ilmi deponitur, ibiqve tutam invenit manſionem, altero die inde extractus ſalvus ac incolumis, cum per omnem potentiam videretur fieri non poſſe, ut ſpes affulgeret, ſervatum iri homines.

Alius, cui nomen Philippi Voigt, cum domum ſuam ſubverti cerneret, apprehendit ſpondam cubilis, in qva cum uxore, ſobole ac ancilla conſedit, ſponda pro navi uſus, ſtatim aqvæ ſpondam impetu ingenti arripuerunt & abripuerunt. Voigtius, non ſatis caute agens ex ſpondà prolabitur in undas, aqvas ad tempus ſupernatat, & deniqve propellitur ad rudera ſtabuli collapſi, qvæ portæ dictæ das Hirten,

ten Thor/erant propinqva, his innititur, animam Creatori ſuo commendans, & fata ſua exſpectans. Interea temporis uxor cum ſobole atqve ancilla intra ſpondam cubilis ſui vecta eidem portæ cum ejulatione & clamoribus continuis appropinqvat. In eo jam erat, ut ſponda per portam ejiceretur, & furori procellarum in alto traderetur. Hic præſentiſſimæ mortis facies ſeſe offerebat. Aſt inexputabili divina bonitate factum eſt momentô, ut trabium una & altera ſpondæ anteverteret, portæ ſe obvolveret & tranſitum prohiberet. Sponda ergò rejecta ad iſtud latus ac ſtabulum, in cujus ruderibus maritus hærebat, qvi uxore & ſobole, ancilla item ad ſe pertractis evaſit unà cum ipſis.

Lehnſtadii, in domo qvapiam oppidò humili, omnium qve minimè munita procellis autem qvam proxima, confluerant homines diverſi ſexus, diverſæqve ætatis, numero XXVII. Hi cum aqvarum vim ſingulis momentis augeri cernerent, ex conclavi inferiori ſe receperunt in id, qvod omnium erat ſupremum. Ibi itidem ab aqvis deprehenſi ſunt, qvin procellæ ſumma tecti dejecerunt. Nihil ergo certius rati, qvàm illicò ſibi intereundum eſſe, in mutuos ruebant amplexus, neceſſarii neceſſarios, parentes liberis, conjuges conjugibus ultimum Valedicentibus. Uno ore incipiunt canere: **Mit Fried und Freud ich fahr dahin** rc. Ecce autem, eo ipſo momento aqvæ ſteterunt, ſenſim decreverunt, omnes iſti ſervati ſunt.

Ad manum ſunt exempla longæ plura, qvæ utiqve in medium nunc proferre valerem, niſi jam tum adducta abundè fidem facerent ei, qvod paulo ante aſſerui; ſcil. Numen Opt. Max. in ipſo graviſſimi hujus excidii ictu infinitæ ſuæ miſericordiæ non dememiniſſe, ſed ejus documenta ſane luculenta dediſſe. E qvibus & hoc eſſe cenſendum eſt, qvod multi eorum, qvi in procellis egerant, & cum ultimis luctati fuerant, poſtmodum ultrò ſint faſſi, ſe ſenſiſſe in mediis aqvis, qvod moles ſuorum corporum tanqvam manu ſuppoſita, ſublevata in ſuperficie aqvarum ſuſtentata ſit.

Ex

Digitized by Google

§. XIII.

Ex iis, qvæ hactenus expoſita fuerunt, obſcurum amplius non eſt, ecqvænam loca effreni iſto aqvarum furore fuerint tacta, ſcil. nobilisſima regio Thuringia, qvæ ſuo jam ſinu me fovet, cujusqve aliqvalem mentionem feci ſuprà. Qvamvis enim undæ ſe poſtmodum etiam in aliarum regionum faciem effuderint, ibi tamen æqvè non ſevierunt. Thuringiæ igitur præcipuam noxam intulerunt, hanc devaſtarunt, hujus incolas ſuffocarunt, domus ac ſupellectilia fregerunt, deſtruxeruntqve. Ex omni autem Thuringia una ſola Vinaria cum agro circumjacente inprimis eſt vexata, id qvod ex indice ſtragis ſuperioribus paragraphis deſcriptæ apparet. Hinc probabile judicatur, fractionem nubis fœcundæ, ex qva tanta aqvarum vis provenerat, non procul à Vinaria, circa montana accidiſſe, indeqve primo impetu in urbem irruiſſe.

§. XIV.

Damni, qvod per diluvium iſtud regioni & inprimis urbi Vinariæ datum eſt, æſtimationem facere, qvis eſt tam temerarius, qvi auſit? Nemo vel exactisſimorum Politicorum hanc ſpartam ſibi hactenus ſumſit. Reperti verò ſunt, qvi judicarunt, ipſam fœcunditatem ſoli tantopere exhauſtam fuiſſe, ut ſæculi curſu ne reſtitui qvidem poſſet. Qvod verò judicium, Dei gratiâ fefellit. Floret qvippe hodiè, & jam ante plures annos effloruit Thuringia, pingveſcit ſolum Vinarienſe, reſtitutus ager eſt. DEUS hunc ei florem ſervet.

§. XV.

Qvid tandem inſecutum ſit hunc Cataclyſmum, id, ſed breviter, puto ſubnectendum eſſe. Altero die, qvi menſis Maji 30. ſed in ordine ſeptimanæ Dominicus erat, undæ nonnihil ſubſidebant paulatimqve dilabebantur. Vidiſſes omnem Vinariam colligere rudera, numerare funera, fletu & ſingultibus mali exantlati emetiri magnitudinem: deplorabant conjuges ablatam thori partem, paren-

tes recitabant ultima perituræ ſobolis verba, liberi orbitatem ſuam, domeſtici ſolitudinem accuſabant. Verè luctuoſa Vinariæ erat facies. Nec minus in agro circumjecto planctus & gemitus exaudiebantur. Qvis enim eſt, qvi hæc legendo vel audiendo temperet à lacrymis: Tantum abeſt, ut ſiccis oculis eadem perferre qvis valuerit. Sereniſſimus tum temporis imperans Princeps, item prudentiſſimus Senatus Oppidanus prorſus nihil fecit reliqvi eorum, qvæ ad munus probi patris Patriæ videntur ſpectare. Juſſu publico inqviſitum fuit in nomina perſonarum, qvæ deſiderarentur, rudera ſubrutarum ædium fuere ſubmota & perqviſita, qvô, ſi fieri poſſet, cadavera eruerentur. Miſſi ſunt, qvi in publicis viis, in declivibus viarum, in arbuſtis, qvaqva verſum iri poterat, inqvirerent, num periclitantes de vita alicubi hærerent, ut iſtis ſuccurreretur. Glorioſæ memoriæ Princeps civibus ut & ruricolis ex ſumma munificentia ligna cædua eſt largitus, qvibus unus novas inſtrueret ædes, alter diſtractas & laceratas reparet. Porrò illis, qvos malum præ cæteris preſſerat, penſio tributorum annua ad tempus definitum fuit remiſſa. Deniqve, ne unqvam tantarum cladium intercideret memoria, juſſu Ejusdem Sereniſſimi inſtituti ſunt conciones anniverſariæ, qvæ ad noſtrum hoc tempus usqve perdurant. Scil. qvotannis die 29. Maji habetur concio pœnitentialis publica, qva diluvii noſtri recolitur memoria, & cœtus mala iſtiusmodi deprecatur. Vulgus iſtas conciones appellat die Waſſer-Predigten/magnaqve cum attentione iis intereſt. Habita & hic Jenæ fuit eo anno concio hujusmodi à pl. rev. atqve Excell. Dn. Joh. Majore SS. Theol. D. Prof. P. & Superintend. b. m.

§. XVI.

Cæterum is ipſe annus etiam aliis eventibus clarus eſt. Evenit qvippe eodem in Weſtphalia, Osnabruggæ, ut furor ſævientis Vulcani longè lateqve omnia depopularetur: ſcil. ſplendidiſſimas baſilicas, ſuperba palatia, inſtructiſſimas

mas domus una cum deliciis varii generis, prætio inæſtimabili valentibus, abſumeret. Thuringia qvidem cum ſua Vinaria in Inſulam, ſed Weſtphalia cum ſua Oſnabrugga in cinerem verſa eſt. Illo ipſo anno Ratisbonæ in Comitiis publicis Status Proteſtantes, ſe in exercitio Religionis conceſſo, turbari graviter ad Imperatorem qverebantur. Sub idem tempus Sigismundus Bathori, Dux Transſylvaniæ, obiit diem Pragæ, ibiqve nactus ſepulturam fuit. Glorioſæ recordationis Princeps, Heinricus Julius, Dux Brunſvicenſis, itidem Pragæ moritur. Sic & glorioſus Princeps Erneſtus, Marchio Brandenburgicus, Johannis Sigismundi Electoris Fratris, ultimum diem Berolini fecit. Idem annus emortualis fuit Qvirino Reutero, Theologo, *vid. Simon. Stenium in orat. funeb.* item Jodoco Lucio, Medico præſtantisſimo, *videantur Melchioris Adami vita Germanor. Medicorum p. m. 419*, item Rudolpho Schnellio, Viro in omni Philoſophia verſatisſimo, *vid. eund. in vitis Germanor. Philoſophor. p. m. 507.* Sed ſatis qvidem de iis, qvæ Diluvium Vinarienſe anteceſſerunt, ingreſſa & conſecuta fuerunt.

CAPUT III.

SUMMARIA.

Politicus Medico ſimilis, §. 1.
Ejus officium in prodigiorum, qvale cataclyſmus, acceſſu, §. 2.
In prodigiorum duratione, §. 3.
In prodigiorum receſſu, §. 4.
Subjectisſimum pro ſalute inclyta Domus Saxo-Vinarienſis, Votum, §. 5.
Concluſio, §. 6.

§. I.

QVi Politicum *ἀνδρὶ ἰατρῷ* ſimillimum eſſe dicunt, atqve id propter *Medicum animorum* ſalutant, ii à veritate nil qvicqvam alienum committ-

mittunt. Sunt qvippe capita numero plura in qvibus Viro politico exactè convenit cum Medico,qvæ citra ullum laborem recenſeremus, niſi thematis noſtri terminus nobis ante oculos verſaretur. Medicus, ut unum hoc de officio addamus, & præſervat & liberat à morbis: Politicus civitatem à calamitatibus non minus præſervat,qvam liberat, qvin præcipuum ejus munus, & laus prima in eo conſiſtit, ſi mala civitatum imminentia prævidere, præviſa avertere valeat. Medicus etiam in illis morbis, qvi τὸ θεῖόν τι habent,manum ægro non ſubducit, ſed cum avertere non poſſit malum, id ſaltim agit, ut toleratu fiat facilius: Politicus in malis, qvæ ſupra hominem ſunt ut loqvitur *Philoſ.3. Et hic. Nicom.* Civitati non deeſt, ſed cum hæc ſua natura ita comparata ſint, ut aliqvando prævideri unqvam vero averti neqveant,is id operam navat, ut civitas ne funditus perdatur, ſed, qvamvis bene qvaſſata, ſuperet tamen ac emergat. Verum res hæc intellectu facilis eſt, & ab aliis alibi per membra comparationis oppidò multa diducta ac penitus excuſſa.

§. II.

Exercet politicus manum medicam in civitate cum aliàs,tum verò & inprimis, ubi prodigioſi eventus ingruunt, ſcilicet cum Cataclyſmi ſæviunt, cum Vulcanus furit, cum fulmina undiqvaqvè graſſantur. Nobis nunc de Cataclyſmo ſermo eſt. Hunc qvia prævidere etiam perſpicaciſſimi politicorum vix qveunt, certum eſt, nec ipſos eum avertere valere. Qvod ſi tamen aliqva regio, urbs aliqva, Cataclyſmo familiariter urgeatur, munus politici exiget, ut ſuperficiem ſoli ita attemperet, qvò potiſſimus aqvarum impetus per declivia ab arte data, tanqvam per viam aliam, abducatur. Hoc fine foſſas conficiat, munimenta mœnibus addat. Adjutus diſciplinarum nobiliſſima, qvam dicimus ingeniariam. Aſt ubi Cataclyſmus infreqvens eſt, in ejus acceſſu politicum decet animum in omnes eventus præparatum oſtendere, cives, ſi locus ſit, monere? niſi locus

mo-

monendi, qvantumcumqve poteſt, juvare. Conſilia ex arena ſæpè hic optima. Maximè proſpiciendum eſt Bibliothecis publicis, Archivis, Baſilicis &c. ſi qva ope his ſuccurri poſſit, efficiqve, ne unda eò pertingat. Inde ex Schola ſuperſtitionis, Papatu, ad nos traducta eſt opinio, ubi Evangelium S. Johannis ſuperſtitioſe contra vim tonitruum de collo ſuſpenditur, perhibeturqve, tempeſtates, item Cataclyſmos averti poſſe diſploſione tormentorum, & pulſu grandiorum campanarum. Qvæſiveris, annon è munere politici ſit, ad hæc confugere media? nos dicimus, eqvidem per ſonum campanarum, murmurqve tormentorum aërem contremiſcere, non nihil rarefieri, nubes ſolvi, & tempeſtates emolliri poſſe. Aſt verò eam in campanis atqve tormentis vim, qvam gens Pontificia credit, nos non agnoſcimus. Gens Pontificia campanas & tormenta ſacri baptiſmatis fonte abluit, hos ipſos in uſus, à qvo ſacramenti longe ſublimiſſimi abuſu nos noſtrates dehortantur Doctores, qvos jure ſeqvimur meritoqve. Von den abergläubiſchen Wetter-Läuten integra extat conſtitutio Electoralis Sax. de an. 1573, articulo 39. hæc nimirum: **Sonderlich aber ſoll das Abergläubiſch und Abgöttiſche Wetterläuten/ (der Urſach die Glocken im Bapſtthum mit läſterlichem Mißbrauche der Stifftung Chriſti getaufft werden daß ſie die Krafft haben ſollen den Hagel und ſchädliche Wetter abzuwenden) wo es noch im Brauch/ abgeſchaffet und nicht geſtattet/ dargegen aber das Volck zur Buß und Chriſtlichem eiferigen Gebete vermahnet werden dadurch der Zorn Gottes geſtillet und ſolche Plagen abgewendet werden mögen.** Aliàs de campanis hi circumferuntur verſiculi.

Funera plango; fulgura frango; ſabbata pango.
Excito lentos; diſſipo ventos; paco cruentos.

qvos obiter ſaltem adduco.

§. III.

Poſtqvam rigor prodigiorum invaluit, noſtraqve ci-

 vitas

vitas in anguſtiis ſuis deſudat, certum eſt, à Viro politico exigi, ut & tum ſuorum gerat curam. Qvid autem ipſi inprimis faciendum, præceptis definiri vix poteſt. Variant circumſtantiæ prodigiorum, in ſpecie Cataclyſmorum, in tantum, ut ne duo qvidem allegari poſſint exempla Cataclyſmorum, qvæ præcipuas circumſtantias habuiſſent eaſdem. Hinc iterum ad prudentiam politici extemporaneam, hujusqve judicium ſubactum eſt confugiendum. Hiſtoriam ſi conſulas, deprehendes, nullos politicorum in medio æſtu calamitatis manus ad aſtra tuliſſe, Numen vocâſſe in auxilium, atqve ſic malum declinaſſe. Alii invenerunt media civilia, effregerunt muros, undisqve exitum pararunt; alii dejecerunt domus paucas, ut plerasqve ſervarent. Reperti etiam ſunt, qvi ad illicita delaberentur: ſcilicet cum flectere neqvirent Superos, ſtuduerunt movere Acheronta, incantamentis & carminibus iram Numinis pellere conati. Hos poſtremos, qvamvis nolimus negare, apparenter malum mitigâſſe, & inducias impetrâſſe, Deo ipſorum incredulitatem permittendo labi in ſenſum reprobum: id tamen negari nec poteſt, nec debet, verè hos non conſuluiſſe ſuis, ſed aliqvando turpiter confuſos fuiſſe, aliqvando graviorem civitati reatum attraxiſſe.

§. IV.

Evaſit jam civitas, liberata urbs eſt: qvid muneris ergò redit in politicum; ſcilicet prima cura eſto operum neceſſitatis. Eruantur ex ruderibus corpora civium prolapſorum, inqviraturqve, num ullibi locorum ſuperſit, qvi cum periculo colluctetur. Politicus Pater Patriæ eſt, ſed Patris proſpicere vitæ ſobolis, amplexari cadaver exſtincti filii. Hinc ad terminos regionis, portasqve urbis adqve muros armatus ſtet, qvi caveat, ne hoſtis incurrat, anteqvam vulnera noſtra colligata ſint. Porrò eatur ad altaria, Numenqve oſtenſum devoto cultu civitati reconcilietur. Ulterius ſi ex Archivis unum vel aliud à Vulcano aut Neptuno abſumtum ſit, id, qvam fieri poteſt, accuratiſſimè diſſimu-

Digitized by Google

ſimuletur, ne ſcil. pars adverſa nos hinc urgeat. Imò civibus ex publico ad veſtitum, victum, repetationem ædium &c. fiant erogationes: Incredibile eſt, qvantum hæc munificentia Statui proſit. Nullum eſt vinculum, qvod ſubditos arctius præſenti ſtatui obſtringat, atqve ſubſidium in iſto neceſſitatis caſu præſtitum. Cumqve hujus generis calamitates & prodigia nunqvam non ſint prænuncia futuræ majoris calamitatis, qvemadmodum conſtat, Diluvio Vinarienſi ſucceſſiſſe torrentem diuturni & cruenti illius belli Germanici: ideo Politicus futurum proſpiciat, omen accipiat, ſe aut depellendæ, aut ferendæ calamitati paret. Doniqve calamitatis publicæ erigatur mnemoſynon, idqve vel in animo civium, vel in loco aperto & edito. In animo civium, ut ſi conciones anniverſariæ inſtituantur, (Waſſer- oder Feuer-Predigten/) qvod Vinariæ factum fuiſſe ſupra ſcripſi: vel feſta ſolennia in memoriam ſervatæ urbis, cujusmodi eſt illud feſtum ſcholaſticum Numburgenſium, dictum das Kirchfeſt/ ceraſis mature ſcentibus, qvod ibid. inſtituitur, &c. In loco vero publico & edito, ſi monitoria, v. g. porticus, columnas, cruces &c. erigat. Hæc ego de officio Politici circa eventus prodigioſos, tanqvam in idea qvadam exhibeo. Qvod ſi cui allubeſcat, ea ipſa in exemplo conſummato intueri, is mihi inſpiciat acta Sereniſſimæ Aulæ, prudentiſſimiqve Senatus Vinarienſis, de qvibus exigua nonnulla capitis ſuperioris §. penult. attuli.

§. V.

Ego hic ad vota divertor ſubjectiſſima: DEUS, bonitate Optime, poteſtate Maxime, Tuam infinitam Majeſtatem modis qvas mens concipere poteſt, & lingua profari, exqviſitiſſimis celebro, qvod Sereniſſimam Domum Saxo-Vinarienſem, illam puræ religionis nutriculam, artium receptaculum, juſtitiæ officinam, atqve in eadem Sereniſſimos Celſiſſimosqve Principes ac Duces, Dominum JOHANNEM ERNESTUM, DN. JOHANNEM GEORGIUM, DN. BERNHARDUM, Fratres Ger-

Digitized by Google

Germanos; Duces Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium, Landgrafios Thuringiæ, Marchiones Miſniæ, Principali dignitate Comites Hennebergiæ, Comites Marcæ & Ravensburgi, Dynaſtas Ravenſteinii &c. Veritatis Evangelicæ Adſertores glorioſisſimos; Reipubl. literariæ ac Muſarum Atlantes indulgentisſimos, Principes meos clementisſimos, Nutritores longe munificentisſimos, hactenus ab omni malignantis ſortis ictu ſalvos præſtiteris atqve incolumes. Serva, Domine, Unctos Tuos & inpoſterum imple cordis Ipſorum deſideria, indulge conſiliis Eorundem ſucceſſus. Averte mala qvævis, affunde bona omnia, Vigeat RUTA SAXONICA usqve ad finem ſæculi. Nunqvam deſit ex ipſis, qvi ſedeat in throno Patris ſui coram Te. Vivant! Floreant! fructus ferant!

§. VI.

Hæc ſunto dicta in præſentiarum. Dicat forte aliqvis: amphora cœpit inſtitui currente rota, cur urceus exit? is reſponſum velim ſibi habeat notum illud proverbium: efficimus pro opibus noſtris mœnia. Amplius ac elegantius, terſius atqve accuratius diſputaturo *ἀκρίβειαν* ſincerè gratulabor, neqvaqvam invidebo. Occaſione lectionis reſponſi cujusdam, qvod menſ. ſept. an. 1613. qvo cataclyſmus noſter contigit, in Collegio Juridico hujus Academiæ datum fuit, & Dn. D. Richtero, Ordinar. b. m. in tract. de ſucceſſ. ab inteſt. ſect. 2. n. 5. procem. affertur, animum induxi, *De alluvione, vi fluminis, de inſula, alveo, & inundatione,* materiis utiliſſimis, qvæ §. 20. 21. 22. 23. & 24. Inſt. de rer. div. nec non Dig. & Cod. continentur, cum Deo & die, etiam vires periclitari, adeoqve propoſitam hanc Hiſtoriam juridice exhibere diſputandam. Hac vice abrumpendum!

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

CO-

COROLLARIA,

pro uberiori exercitio adjecta.

I.

Non ſemper, qvi tacet, conſentire videtur.

II.

Conſcientia erronea obligat.

III.

Impoſſibilium etiam eſt obligatio.

IV.

Etiam cum *Sua* adulterium qvis committere poteſt.

V.

Non ſemper videndum qvid dicatur, ſed & interdum, qvis dicat.

VI.

Poteſt Titius ſtrenue mentiri, & nihilominus verum dicere.

VII.

Conſolatio non principium, ſed conditio actus moralis eſt.

VIII.

Principia practica omnium prima ſunt: Bonum fac; Malum non fac.

IM-

Digitized by Google

IMpetu terribili ſe præcipitabat ab axe
Cœleſti prægrandis *aqvæ* vis, prorſus inundans
Urbem *Vinariam*, varios pagosqve. *Stupendam*
Hanc rem proponis *docte* præſtantibus auſis.

Per-Eximio Dn. CELIO J. U. Cultori ſolertiſſimo amicâ m. & m. gratulatur

JOHANN. VOLK. Bechman/ D.
Anteceſſor, deſignatus Academiæ Rector,
& h. t. Collegii Juridici Decanus,

CELIO,

POLITISSIMO HUJUS DISPUTATIONIS AUTHORI,
Sacræqve Themidos Cultori egregio,
Amico meo honorando, & officiorum promtitudine
multis hactenus modis de me bene merito,
Affectum ſuum hiſce declarare, inſimulqve ſtudiorum ſucceſſus felices exoptare voluit

PETRUS PANCRATIUS Krauß/ J. U. D.
Curiæ Provinc. Saxon. Jen. Advoc. Ordin.

T*Andem edis ſpecimen, Doctorum pulpita ſcandens,*
Aſſiduus verſus qvi monumenta Sophûm.
Pergere perge viam hanc alacris. Sic itur ad aſtra!
Infractum ſtudium præmia digna manent.

UT Thuringiaces Terras numeroſa fluenta;
Sic Te Parnaſſi multa rigavit aqva.

Gratulab. deprop.
ERHARDUS WEIGELIUS, Mathem.
P. P. Alumn. Inſpector, h. t. Facult. Philoſ.
Decanus.

VIRO-

Digitized by Google

VIRO-JUVENI
& eruditione, & moribus, & pietate oppido conſpicuo,

DN. GEORGIO HEINRICO CELIO,

Politic. & Jurium Studioſo aſſiduo,
SERENISS. SAXO-VINARIENSIUM DUCUM,
DOMINORUM MEORUM CLEMENTISSIMORUM,
optimæ frugi Alumno,
cum
primitias laborum Academicorum,
DILUVII THURINGIACI DELINEATIONEM,
ſuopte Marte elaboratam
ederet,
Numen Præſens, Gratiamqve Munificentiſſimorum Nutritorum integram, perpetuam,
cum amica gratulatione
precab.

COelum Te, Celi *genuit, Cælo Tua Curæ*
Sunt. Cælo fides, Cælicus & fueris.
Imqve f.

GEORGIUS GOEZIUS,
Moral. Prof. Publ.

DILECTISSIMO GENERO SUO,
DN.

GEORG. HEINRIC. CELIO,

hodie N. P. C. & Acad. Jenenſ. Regiſtratori digniſſimo,
cum Cataclyſmum ſuum Thuringiacum limatius
denuo ederet,
τὸ εὖ!

BERNHARDUS Müller/ Rhodæ
Paſtor & Adjunctus.

QVem deſcripſiſti, cataclyſmus monſtrat abunde
Preſſuram duram, qvæ celeranter erat!

Faxit

Faxit Iova potens nunqvam vexetur ab aſtris
Terra; malum nunqvam peſtiferum remeet!

Pereximio, Præſtantiſſimo atqve Doctrina & Pietate ornatiſſimo Viro-Juveni,

DN. GEORGIO HEINRICO CELIO,

Philoſoph. & Juris utriusqve Studioſo indefeſſo, amico noſtro honoratisſimo,

S. D.

Commenſales.

INnumeris, amice & conſaline ſvaviſſime, iisqve varii generis malis agitatam ſemper & vexatam fuiſſe Thuringiam noſtram, teſtantur Annales, loqvitur experientia, adeo ut novercantis naturæ furor, tractis in auxilium fere omnibus ſuis copiis, (elementa putamus) ſuas contra eam vires experiri voluisſe videatur. Nam, ut volubilis fortunæ ludibria taceam, modo nobiliſſima ejus membra tantum non penitus hinc inde cineribus contumulata amiſſam pulchritudinem, perditas opes, ægerrimè olim reparandas deplorant. Modo calamitates ſpem agricolarum decollaſſe, grandinibus luxuriantem obruentibus ſegetem effecerunt. Modo Martis torva facies adoptivisadjuta oculis, proh! cogitando horreſcimus, tuum, ô dulciſſima Thuringia, inſpexit, dicamus, an penetravit centrum, inde ſophiſmatum neſcimus qvorum, emittuntur radii, peripheriam prætenſionem circulo amplificaturi. Modo peſtiferam graſſari luem, & aliqvot hominum centurias ad plures miſſas vidimus, audivimus, aere ſuam ſalubritatem denegante. Modo Neptunus ſolitam periclitaturus violentiam impetu horribili recluſit cœli catarractis ingentem aqvarum molem ſuppeditantibus noſtram adortus eſt Thuringiam. Id qvod uberius chartâ tua, Amice honorande, demonſtras doctisſima. De qvo labore feliciter exantlato lubentiſſimi tibi gratulamur, inſimulqve feliciſſimos ſtudiorum tuorum ſucceſſus, Patronos pariter atqve Promotores precamur munificentisſimos. Vale. Jenæ d. 12. Jan. reparatæ ſalutis, M. DC. LXX.

F I N I S.